This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Photol 4

600094281U

CAROLI ZELL

PROFESSORIS UNIVERSITATUM FRIBURGENSIS ET HEIDELBERGENSIS EMERITI

OPUSCULA ACADEMICA LATINA.

FRIBURGI BRISIGAVORUM.
SUMTIBUS LIBRARIAE HERDERIANAE.
MDCCCLVII.

304. oc. 27

Typis Herderianis Friburgi Brisigavorum.

DE

VERA THEOPHRASTEORUM CHARACTERUM
INDOLE ET GENUINA FORMA
EX
ARISTOTELICA RATIONE REPETENDA.

COMMENTATIO

QUA

PRAELECTIONUM INITIUM AD DIEM III. NOVEMBRIS
MDCCCXXIII

INDICIT

ALMAE ALBERTO LUDOVICIANAE
LITERARUM UNIVERSITATIS

NOMINE

CAROLUS ZELL,
GRAECARUM LATINARUMQUE LITERARUM PROF. P. O. ORDINIS PHILOSOPHORUM
DECANUS.

Criticae artis etsi ea pars, quae de totius alicuius libri veris originibus, indole, auctoritate statuit, cum difficillima est ad tractationem, tum ad utilitatem gravissima: non tamen, qui in hoc genere versantur, eam semper fidem, diligentiam, religionem adhibent, qualem merito exspectaveris, ita, ut plenus monumentorum literiariorum intellectus et verum iudicium ancipiti plerumque incommodo laboret, et ab iis, qui caeca credulitate torpentes omnem investigandi et iudicandi operam desides fugiunt, et ab iis, qui male seduli et inconsi-

derati nihil non in dubium vocare contraque communem persuasionem pronuntiare gestiunt. Utri longius a veri critici munere absint, non facile dixeris. Nam qui eiusmodi quaestiones omnino non attingunt hactenus certe quidem minus nocent, quod causam integram aliis diiudicandam relinquunt. Sed qui quaestiones temere movent, suspiciones et opiniones suas cum quadam fiducia proferunt, haud semel perturbant rem et nominis sui auctoritate multos inducunt, ut incerta pro certis habeant, certa pro incertis, quaestiones vix institutas pro perfectis aut omnino non perficiendis, opinionum commenta pro veritate iudiciorum. Equidem semper existimavi, quo quis magis ingenii et eruditionis auctoritate valeat, eo magis caute et circumspecte in hoc genere eum agere debere, ut non continuo suspiciones suas iaciat, sed religiosi iudicis instar nonnisi causa cognita et omnibus momentis diligenter ponderatis considerate pronuntiet. Quae quidem quam non sine ratione a nobis dicta sint, vel unus Theophrasteorum characterum libellus argumento esse potest, iam aliquot abhinc saeculis varie tentatus, lacessitus, in suspicionem vocatus, a nemine vero, quantum scio, ita excussus et pertractatus, ut de vero eiusdem auctore et genuina forma quidquam ab omni parte certi et explorati constaret, aut hoc ipsum saltem pateret, causam esse eiusmodi, ut certum et indubitatum iudicium non admittat. Nam magnus ille Casaubonus, cui hic libellus plurimum debet, etsi in luculentissimo commentario plane est admirabilis, hanc quidem quaestionem de universa characterum indole, auctore et germana forma non tam perpolivit, quam adumbravit. Cuius quidem vestigia

si seriores pressius sequi maluissent, nos fortasse hac opera, quam nunc suscepturi sumus, supersedere possemus. Victorius, Muretus, alii eius aetatis viri doctissimi haud semel significarunt, spurium sibi libellum videri et Theophrasto non satis dignum, rationes autem addiderunt aut nullas aut parum firmas, ita, ut accuratior et in omnes partes patens quaestionis tractatio a nemine eorum instituta esse videatur. Ne potuit quidem satis plene a quoquam fieri, antequam codex ille Palatinus inventus erat et excussus, cuius additamenta et lectionis varietates magni sunt in hac lite diiudicanda momenti. Post hanc novorum subsidiorum accessionem poterat utique exspectari in hoc praesertim criticae artis fervore exstiturum aliquem, qui causam tam diu et diverse agitatam cum ea cura et diligentia, qua par est, cognoscat et iudicium tandem ferat, quo acquiescere possimus. Desideratur tamen hodieque talis sive iudex libelli sive patronus. Hottingerus enim, Beckius, Sonntagius, Schneiderus, Coraius, alii, qui nostra aetate eiusdem *γνησιότητα* aut impugnarunt aut defenderunt, nonnulla quidem attulerunt plus minus ingeniose excogitata, sed omnino attigerunt tantummodo opus aut profligarunt, non perfecerunt. Neque Astius in disputatione de horum characterum ingenio probabilique origine editioni suae praemissa intelligenti existimatori usquequaque satisfacere potest, qui dum artis praecepta de philosophica, poetica, mimica morum descriptione inculcat, ad eorumque leges hunc libellum exigit, mihi quidem ut de nonnullis, quae ad causam pertinent, utiliter et acute monuisse, ita omnino non satis tutam et profuturam rationem ingressus esse vi-

detur. Quod vero maxime mireris nemo omnium Theophrasteas morum notationes cum Aristotelica ratione contulit plena et accurata comparatione eo consilio instituta, ut exputaret, quid inde de universa libelli indole colligi posset. Nam singulos eiusdem locos iam Casaubonus hac ipsa comparatione multa luce perfudit, sed de tota operis ratione et oratione e Peripateticorum fontibus repetenda tantum significavit et viam quasi monstravit. Quam utinam calcare sequentibus interpretibus et criticis libuisset. Ego enim sic statuo: cum satis constet Theophrastum pressisse praeceptoris sui vestigia, ante omnia ei, qui hanc causam cognoscendam et dirimendam susceperit, ad Aristotelis potissimum philosophiam esse redeundum, cum eaque universa, tum iis praecipue partibus, quae ad vitam et mores pertinent, libelli nostri consilium et tractationem prudenter et accurate esse contendendam. Quapropter non alienum in hac scribendi opportunitate mihi videbatur, eam ipsam materiam commentandi sumere. Conferamus nos igitur ad illa praeclara doctissimi philosophi monumenta, ad quae quotiescunque accesseris, nunquam sine uberrimis utilitatis et delectationis fructibus recedes, atque diligenter colligamus, quidquid inde ad meliorem huius elegantissimi libelli intellectum redundet. Ut autem harum pagellarum conditio fert, potiora tantum eligemus et duntaxat causam quasi coniiciemus, posthac aliquando, si tanti videbitur, iusta et pleniore oratione eandem quaestionem pertractaturi, in quo quidem opere si accesserit accuratior Atticae vivendi et loquendi consuetudinis observatio, quae non pauca suppeditabit ab interpretibus adhuc omissa, et probabilis explicatio

insignis illius inter codices discrepantiae, non parum erit hic locus a nobis purgatus et expolitus. Sed ut ordine et ratione disputatio procedat, paulo altius res erit repetenda.

Plato et Aristoteles, duo praestantissima philosophiae inter Graecos lumina, ut in pluribus sunt consimiles, ita hoc maxime inter se differunt, quod diversis itineribus ad summam in philosophia laudem contenderunt. Alter enim, quamvis vitae usus non ignarus et morum tam sagax observator, ut nemo praestantissimus poeta unquam verius et elegantius ipso diversa hominum ingenia et consuetudines expresserit, tamen plerumque divini sui ingenii nisu sublimis evolat, in iisque partibus lubentissime immoratur, ubi pura mente licet contemplari rerum origines, causas et naturas omni terrena faece despumata, indeque et disserendi rationes petit et verum etiam omnia fere praecepta vivendi. In omnia alia abiit Aristoteles, qui ut et ipse ad ardua et altissima quaevis mentis aciem direxit, ita non contentus universas rerum causas et genera complecti, ad accuratam rerum singularum perscrutationem descendit et principiorum, quae mente solum percipiuntur, simplicitatem cum infinita singularum rerum multitudine coniunxit. Inde provenit illa uberrima eruditionis copia, quam nescio, an maxime in eius scriptis admireris, si memineris, non potuisse ab eo comparari, ut nunc fere fit, umbratili quadam et sellularia diligentia et in libris conterendis assiduitate, sed tantum non omnia, quae profert ex hac immensa naturae et humanarum rerum universitate, ipse primus observavit, introspexit, excussit. Itaque omnino nihil inveneris, cuius quidem eius aetas aliquam saltem notitiam habere potuit, de quo non

cogitaverit, non scripserit, vel minutissima quaeque tam curiosa diligentia persecutus, ut nemo unquam melius duas difficillimas res coniunxerit, disserendi acumen rerum genera et causas uno quasi vinculo complectens, et multiplicis eruditionis in omnes partes diffusam varietatem. Ita accidit, ut qui scriptor in physicis et metaphysicis libris mira ingenii vi universi huius mundi primordia, causas et origines aperuit, idem in tot tamque praeclaris voluminibus singulas fere naturae partes investigarit et melius quam quisquam ante eum, atque adeo primus descripserit animalium genera, plantarum, aëris et tempestatis vicissitudines, humani corporis fabricam, atque sic omnino res naturales cognoscendi studio flagraverit, ut, quod in problematis eius apparet, vel hortulanum et coquum agere non dedignaretur, eorundem artificia et observatiunculas certe quidem respicere maluerit, quam ullam qualemcunque discendi praetermittere occasionem. Neque minus quem scriptorem in libris politicorum de universa civitatum conditione, forma, vicissitudinibus, de humanae societatis fundamentis et quasi radicibus gravissime et acutissime disputantem admiramur, ab eodem hunc laborem exantlatum esse scimus, ut omnium fere graecarum civitatum, iura, instituta, consuetudines non tam uno obtutu perlustraret et quasi percurreret, quam penitus cognosceret et litteris consignaret. Sed has Aristotelis laudationes, quo nos summa unici viri admiratio rapuit, non ulterius persequamur. Illud positum sit, Aristotelis, contra quam Platonis, incredibile studium fuisse omnium rerum non tantum generatim primas causas tenendi, sed etiam singularum formas, species, naturas,

varietates investigandi, notandi, describendi. Iam vero videamus, quod inprimis hic in censum venire debet, quomodo versatus sit in ea philosophiae parte, quae tractat de moribus et cum communi vitae consuetudine quam ulla alia est coniunctior. In hoc igitur genere idem fere observare licet, quod modo de universa Aristotelea ratione posuimus. Nam cum Plato universe de honestatis laudibus gravissime doceat, virtutis et vitii causas et discrimen acutissime explicet et melius ullo alio nobis persuadeat, in illa una vitam vere vitalem agi, hoc nihil esse miserius nihil turpius, atque cum eo omnia sua praecepta quasi divino spiritu afflatus dirigat et ea, quae nude posita severiore argumentorum ratione adstringuntur et ea, quorum sunt fabularum involucra ingeniosissime inventarum aut suavissimorum condimenta sermonum: Aristoteles contra diversam viam secutus gravissimas illas quaestiones et virtutis incitamenta non quidem omisit, sed virtutes et vitia in plura genera dispescuit, singulorum indolem et varietates diligentius observavit, nominibus distinxit, propria cuiusque sedulo notavit formamque descripsit. Tum orationis genere usus est, quale etiam in reliquis ingenii sui monumentis prae se fert, non ubere illo quidem, fuso, florido, amplo, eo denique quod Platonem sequi videmus, sed ut sano, sicco, emendato et in verborum delectu egregio, ita prorsus simplici et ab omni splendidiore sermonis ornatu et cultu quam longissime remoto. Nempe qui omnia et summa et minuta complexus infinitis rebus cognoscendis et perscrutandis se dedit, profecto eidem neque otium neque animus esse potuit orationis trahendae nedum comendae et limandae. Sed

sive consuetudines, sive actiones, quae ut neque plane honestae neque turpes sint, accedunt tamen ad virtutum et vitiorum similitudinem et haud levis sunt in vitae usu in utramque partem momenti. Itaque horum omnium succinctam primum enumerationem proponit (II. 7) deinceps unumquodque sive virtutum sive vitiorum genus accuratiore tractatione repetiturus. In hac ipsa autem exactiore tractatione hunc fere in modum procedit. Primum inquirit circa quodnam mediocritatis genus unaquaeque virtus versetur, quae vitia habeat utrinque sibi opposita; idque plerumque e nominibus a communi consuetudine virtutibus et vitiis inditis expiscatur, aut ita consequitur, ut primum videat, qui homines et quales sint, quibus communis loquendi usus hoc vel illud virtutum et vitiorum genus attribuerit. Tum definitione rem plerumque circumscribit, neque vero semper plane accurate facta et ad severas logicae disciplinae leges adstricta, idque non temere neque inscienter, sed consulto aut non imprudens certe quidem. Nam statim in limine operis de universa hac philosophia ad vitam et mores pertinente nos admonet, plane exactam, strictam et perfectam tractationem ibi locum habere non posse [1]. Eodemque pertinet, quod tam raro cum asseveratione aliquid pronuntiat, sed semper fere illud suum addit „*videtur*, *videri possit*," similia, vel in rebus quamvis certis, deinde quod plerumque se res tantum informare, et adumbrare profitetur, etsi in utroque genere Attici quoque sermonis modestiam et usitatam urbanitatem referre putandus est. Ceterum quam non summam neque

---

[1]) Eth. Nic. I. 3, 4. II. 2, 3.

anxiam curam in definitionibus effingendis adhibuerit, exemplo esse potest locus de fortitudine, ubi definitionem non afferens, postquam diligenter omnia huius virtutis propria persecutus est, in fine lectori ipsi definitionem sibi procudendam relinquit [1]), cum dicit: *Περὶ μὲν οὖν ἀνδρίας ἐπὶ τοσοῦτον εἰρήσθω· τί δ' ἐςὶν, ὃ χαλεπὸν τύπῳ γε περιλαβεῖν ἐκ τῶν εἰρημένων.* Definitionibus propositis plerumque acutissime et copiosissime omnia persequitur, quae cuiusque vitii et virtutis sint peculiaria, quomodo a finitimis differant, quibus in rebus, quando, qua ratione maxime cernantur. Neque vero hoc facit perpetua et continuata oratione aut aequabiliter fusa densissimus in sententiis scriptor, sed nonnisi strictim, carptim, summatim, verba neque artificiosa neque varia colligatione comprehendens sed ita fere plerumque, ut sententiae nonnisi meris particulis copulativis constrictae alia aliam excipiant. Potuerit aliquis hactenus plane de Aristotele dicere, quod de Catone est aliquo loco apud Ciceronem, nihil illius lineamentis nisi pigmentorum florem deesse. Nam is est artifex qui paucis lineolis veras rerum imagines rectius et praeclarius exprimat, quam alii omnium colorum illecebris et varietate adhibitis. In iis autem, quas singularum virtutum et vitiorum affert notas, ut sponte sua patet, philosophi non poetae partes agit, id est, generatim res persequitur, non singulos homines, singulos casus et actiones in scenam producit. Interdum tamen orationem ab universa de virtutibus et vitiis disputatione ad homines traducit iisdem insignitos eorumque quasi ima-

---

[1]) Eth. Nic. III, 9, 7.

ginem depingit. Quod facit, cum, ubi de magnanimitatis virtute agit, magnanimi mores describit, addens: *διαφέρει δ' ἀθὲν τὴν ἕξιν ἢ τὸν κατὰ τὴν ἕξιν σκοπεῖν* (Eth. Nic. IV, 3, 2). Neque desunt loci, ubi non tantum describit virtutum aut vitiorum vim et indolem, qualis in agendo et sentiendo cernitur, sed addit quoque externi habitus notas et ante oculos ponit. Sic de homine molli et delicato est Eth. Nic. 7, 5. *ἕλκει τὸ ἱμάτιον ἵνα μὴ πονήσῃ τὴν ἀπὸ τȣ̃ αἴρειν λύπην· καὶ μιμȣ́μενος τὸν κάμνοντα ȣ̓κ οἴεται ἄθλιος εἶναι, ἀθλίῳ ὅμοιος ὤν.* De magnanimo Ibid. IV, 3, 34. *καὶ κίνησις δὲ βραδεῖα τȣ̃ μεγαλοψύχȣ δοκεῖ εἶναι καὶ φωνὴ βαρεῖα καὶ λέξις στάσιμος.* Praeter haec, quae adhuc a nobis allata sunt, unum etiam restat in huius Aristotelei operis tractatione memoratu dignum. Nimirum innumerabiles in vita occurrunt virtutum et vitiorum gradus, quam maxime multiformes facies, atque incredibilis morum in utramque partem varietas; nominum et vocum, quibus sermonis consuetudo ad hanc sensuum multitudinem denotandam utitur, si cum rerum copia comparaveris, non suppar est abundantia. Qua inopia poetae quidem minus premuntur, qui imitatione sua homines ipsos eorumque mores et indolem exprimunt, non ad certa genera revocant. Plane alia res est in philosopho, qui si hanc infinitam humanarum naturarum et morum varietatem certis generibus distinguere, eaque rursus dispescere et dissecare velit, a copia aptarum vocum, quibus singula haec denominet, facile se destitutum et haud semel impeditum videat. Quod ipsum incommodum Aristoteles noster expertus est, quamvis ditissimae linguae peritissimus scriptor, non uno loco de hac ser-

monis inopia conquestus, ut Eth. Nic. II, 7, 3. IV, 6, 9. 7, 1. Itaque nonnunquam vocabulorum significationes novare cogitur, quod in vocabuli ἀναισθήτου usu ab eo fieri videmus, Eth. Nic. II, 2, 7. ibique not. p. 65. Quae quidem res cur a me hoc loco non esset silentio praetermittenda, infra clarius patebit, ubi ad Theophrastum pervenerimus. Atque haec fere sunt saltem potiora, quae de Aristotelis in hoc genere consilio et tractandi ratione praecipue tenenda videntur. Iam ulterius progrediar, ubi eorum, quae adhuc disputata sunt, rationem subduxero. Est igitur haec eorum summa: Aristotelem diligentissimum esse morum et vitae observatorem, ad eorumque iteratam contemplationem pluribus de causis et ipsum saepe redire et alios manu quasi perducere; revocare quidem ad genera virtutum, vitiorum, morum varietates insigni acumine, in definitionibus vero singulorum non nimiam curam, neque scholasticam adhibere anxietatem; oratione uti nervosa, sententiarum densitate conspicua, brevi, adstricta, denique hunc in modum conformata, ut satis appareat, hoc potissimum a summo philosopho spectari, ut in his morum descriptionibus paucissimis verbis plurimas notas includat; postremum plura genera suis et propriis nominibus aut aegre aut omnino non ab eo potuisse designari.

Neque vero novum omnimodae sapientiae et rerum omnis generis cognoscendarum studium, quod Aristoteles primus excitasse putandus est, intra divinum illud auctoris ingenium substitit, sed in magno discipulorum numero tanquam semina a praestantissimo magistro sparsa laetissima fertilitate effloruerunt, et uberrimos protulerunt fructus. Praecipue hoc de iis praedicari

licet, qui eum coram audierunt et proxime subsequebantur. Nam paulo post, cum fatali quodam casu, ut satis constat, Aristoteleae chartae doctorum manibus excussae per multos annos absconditae iacerent, exaruit quodammodo illa beata Peripateticorum ubertas et in omnes partes diffusa doctrina. Omnino tamen diutissime huius philosophorum familiae propria mansit diligens quaedam in rebus cognoscendis et vitae usu consideranda solertia, atque late patens eruditio. Omnium autem, quotquot fuerunt Peripateticae disciplinae alumni, nemo tam prope ad communem praeceptorem accessit, quam Theophrastus, qui et ipse totum hunc litterarum orbem ab Aristotele primum circumscriptum est emensus. Quod testantur tot tamque illustria eius omnis generis scripta de omnibus philosophiae partibus, physica, rhetorica, politica, historica, quorum et plenum indicem Diogenes Laertius nobis proponit et paucae quamvis praeclarae reliquiae aetatem tulerunt. Ceterorum auditorum, ut vires et voluntas cuique suppeditabant, alius aliam huius studiorum immensitatis unam aut alteram partem praecipua diligentia persecutus est, plurimi in observandis et describendis moribus, vitaeque usu, quem locum Aristoteles tam luculenter exornaverat, singularem operam collocarunt. In tanto autem graecarum litterarum naufragio hoc plerumque e solis librorum amissorum servatis titulis, aliorumque scriptorum testimoniis colligi potest, si quidem e maximo eiusmodi operum numero, in quibus Peripateticorum curiosa diligentia sese exercuit, praeter illum Theophrasti libellum, de quo hic sermo instituitur, nullum monumentum ad nos pervenit, nisi Dicaearchi trium

librorum, qui inscribuntur *Βίος Ἑλλάδος* quantivis pretii fragmentum. Habemus in eo vividam et spirantem variorum morum imaginem, certe adumbrationem, quales diversi diversarum urbium graecarum incolae exhibuerint, ut Athenarum, ut Thebarum, ut Oropi, alii, orationis genere non admodum longe a Theophrasteo stilo recedente, brevi illo quidem, conciso, acri, denso, in nonnullis novato verborum usu conspicuo. Quapropter qui nuper hoc elegantissimum fragmentum denuo edidit, Marxius, mihi amicissimus, acute et optimo iure observavit, non obscuram eius esse cum Theophrasti characteribus coniunctionem, neque adhuc satis perspectam [1]). Sed ediderat etiam alia scripta consimilis argumenti nobilissimus ille Aristotelis auditor a Cicerone quoque, ut e litteris ad Atticum constat, in deliciis habitus, qualia sunt *Ἀναγραφὴ Ἑλλάδος*, *Πολιτεία Σπαρτιατῶν*, *Πολιτείαι Πελληνάιων*, *Κορινθίων*, *Ἀθηνάιων*, unde satis apparet eum sibi civitatum instituta, leges, mores, consuetudines peculiarem sumsisse scribendi materiam. Sed ut modo significavi, etiam sat multi alii exstiterunt diversarum aetatum Peripatetici, quorum eadem morum et vitae observatio, idem describendi studium, ut Heraclides Ponticus, Aristotelis auditor, condiscipulus Theophrasti, inter cuius multa varii argumenti scripta, enumerantur a Diogene Laertio (V. 88. p. 313. ed. Menag.) etiam *Χαρακτῆρες*; ut Nicolaus Damascenus, cuius de diversarum gentium moribus a Stobaeo servata insignia quaedam fragmenta hodieque

---

[1]) Vide Creuzeri, communis praeceptoris nostri, Meletemata crit. P. III. p. 276.

supersunt; ut Satyrus, qui et ipse librum scripsit περὶ χαρακτήρων, cuius exiguum, sed nobile fragmentum nobis Athenaeus suppeditat (IV. 19) a Causabono in Prolegomenis ad Theophrasti characteres (P. 10. ed. Fischer) indigitatum. Theophrastus pro eruditionis suae copia etiam in hoc quidem genere se germanum Peripateticum probavit. Habebantur enim eiusdem praeter ea opera, quibus universe hanc de moribus philosophiam tractavit, ut: Περὶ εὐδαιμονίας, Περὶ ἐκκσίᾳ, Περὶ ἡδονῆς, Περὶ ἀρετῆς, Ἠθικαὶ σχολαὶ, Περὶ ἀρετῶν, quae Diogenes Laertius enumerat (p. 295. ed. Menag.) etiam alia, in quibus ex argumentorum ratione probabile est, eum non philosophice de virtutum, vitiorum, morum causis universa disputatione disseruisse, sed descendisse quoque ad describendas singulorum morum imagines. Sunt eius generis item a Diogene Laertio (l. l.) laudata: Ἀρετῶν διαφοραὶ, Περὶ ἔρωτος, Περὶ μελαγχολίας, Πολιτικὰ ἔθη, Περὶ κολακείας, alia, praecipue vero characteres ethici, qua quidem inscriptione hic ipse libellus insignitur a nobis nunc in examen vocandus. Cuius quidem haec est ratio. Proponuntur nobis ibi plurium vitiorum, atque adeo vitiosarum et perversarum vitae consuetudinum descriptiones. Praemissa est singulis descriptionibus brevis, neque illa quidem semper accuratissima generis definitio. Tum sequuntur eiusdem notationes ita plerumque institutae, ut non perpetua et continuata narratione hominum, quorum genera describuntur, agendi ratio in una continuata actione, vel coniuncta actionum serie conspicienda repraesentetur, sed ita potius, ut carptim nota notae addatur, earumque exsistat quasi index et particulatim distincta enumeratio.

Totius generis porro ea est conditio, ut plane sit ex Atticorum vita et consuetudine desumtum, eamque nobis ante oculos ponat. Deinde vel in hac tractationis siccitate et ut ita dicam macie apparet tamen non mediocris et iocosus quodamodo lepor et festivitas. Postremum orationis genus est, ut Attici sermonis proprietatem ubique in verborum delectu redolens, ita breve, imo praecisum, simplex et in omnibus fere capitibus certis loquendi formulis adstrictum, denique quale in eiusmodi scriptis locum habere solet, quae commentandi causa in chartas coniicimus, vel quali fere utimur, cum scriptum aliquod fuso et uberiore stilo elaboratum in brevius cogimus.

Iam videamus quomodo haec universa cum Aristotelica ratione consentiant, deinde per singula capita cum Aristotelis libris ethicis contendamus. Ac primum de totius operis consilio et argumento nemo non fatebitur, ea cum Aristotelis et Peripateticorum ingenio mirum in modum concinere, qui, ut demonstratum est, omnino mores et vitae usum tam diligenter observabant, describebant, atque praecipuo et suo quodam studio in toto hoc genere se iactabant. Tripartitus autem ut est huius libelli usus, ita tripartitam rationem comminisci possumus, quam in eo scribendo Theophrastus habuerit. Pertinet enim primum ad Athenarum urbis et reipublicae accuratiorem cognitionem, atque quod Dicaearchus de diversis singularum Graeciae urbium ingeniis et vitae usu significavit, in Athenarum Atticarum moribus plenius notandis scriptor noster uberius persecutus esse videri potest. Deinde cum vitiorum et vitiosarum consuetudinum contineat exempla e veritate vitae expressa,

etiam philosophia moralis eum sibi vindicare et in usum suum potest convertere. Quod quidem de similibus morum descriptionibus Seneca (Epist. XCV. § 66) diserte pronuntiat, nescio an fortasse hos ipsos Theophrasteos characteres respiciens. Postremum cum Aristoteles artis oratoriae praecepta tradens multus in moribus notandis esse coepisset, Theophrastum quoque fugere non potuit, quantopere eiusmodi lucubratione rhetorum studiis inserviret. Quid quod tales ipsae morum notationes rhetorum inter artificia dicendi habebantur, quarum nobis suppeditat auctor Rhetoricorum ad Herennium (IV. sol.) insigne exemplum, quod tam prope ad Theophrasteorum characterum indolem accedit, quasi esset ad eorum similitudinem expressum, hactenus tamen ab iisdem diversum, quod singulae ostentatoris, qui quidem ibidem describitur, notae non ut apud nostrum separatim positae et seiunctae apparent, sed in unius fere narratiunculae continuata perpetuitate inclusae. Quod autem in his characteribus Theophrasteis quamvis succincto et adstricto stilo exaratis lepor quidam et ioci festivitas renidet, hoc mire concinit cum Theophrasti ingenio et ad hominum mores imitandos inprimis apto et ad eiusmodi festivitatem propenso, quale quidem ab Hermippo apud Athenaeum (l. 38. p. 78.) nobis describitur. De scribendi igitur consilio et argumenti ratione satis ex iis, quae attulimus, constat, ea inprimis esse consentanea et Peripateticae familiae philosopho et personae Theophrasti. An idem etiam de tractatione et orationis genere statuendum sit, modo videamus.

In definitionibus igitur quae singulis captiibus prae-

mittuntur, hoc primum nobis occurrit, haud unam eorum esse non satis absolutam et ab omni parte perfectam, sed plures tantummodo quasi inchoatas, mancas, perturbatas. Cuius rei culpam interpretum plurimi in epitomatores conferunt aut librariorum negligentiam accusant. Quod de librariis conqueruntur, audio, neque epitomatorum suspiciones sperno, etsi plura cogitari possunt epitomatorum genera et hoc ipsum erat accuratius definiendum ab iis, qui epitomatores iactant, quomodo et quatenus epitomatorum licentia in libello nostro processerit. Sed utut hoc est, alio tempore a nobis excutiendum, binas tamen causas mihi videre videor, cur omnino et sponte sua horum characterum definitiones aliquo sive obscuritatis sive negligentiae incommodo non laborare non possint. Primum enim, ut iam supra significavi, singulorum vitiorum et perversitatum, omnino morum plurimae atque adeo innummerae in vitae usu sunt varietates quae quo magis alia aliis sunt implicitae et contiguae, eo difficilius sunt et peculiaribus nominibus distinguendae et definitionum comprehendendae angustiis. Ista sermonis vel ditissimi, si cum infinita rerum copia comparaveris, inopia, quantopere philosophis potissimum impedimento sit, multiplicem illam et multiformem morum varietatem in certa genera et species distribuentibus, iam supra est Aristotelis exemplo demonstratum. Neque vero is quidem, eiusque similes tantopere se impeditum sentire potuerunt, quantopere qui tales morum notationes suscepturus erat, quales hi Theophrastei sunt; et id quidem hanc ob causam. Illi enim, etiamsi Aristotelis instar diligentiorem morum enarrationem consectentur, magis

tamen, ut nunc dicere consuevimus, in abstractis versantur et generali quadam harum rerum delineatione pro instituti sui ratione sunt contenti: sed scriptor noster magis ad singularia descendit et plerumque plures eiusdem generis nobis proponit formas et species in veritate vitae ipso aspectu et oculorum sensu non tam difficili negotio cognoscendas et distinguendas, multo difficiliori, uno et suo nomine designandas aut minimo paucorum verborum orbe includendas, quibus definitiones comprehendi solent. Atque quam non satis plene vel graeci sermonis opes suffecerint, ad singulos quosque characteres eorumque proprietates suis nominibus denotandas, libellus noster non uno loco ostendit. Ita enim factum est, ut scriptor nonnulla huius generis vocabula angustiori sensu usurparet, quam quotidiani sermonis consuetudo facit, alia novata significatione et varie detorta, quae quidem res satis patet, quantopere plane accuratis et usquequaque perfectis definitionibus obnoxia esse debuerit. Sic, ut hoc utar, comparet mihi aliquis characteres *Περὶ ἀπονοίας*, *Περὶ ἀκαιρίας*, *Περὶ βδελυρίας*, *Περὶ ἀηδίας*, *Περὶ φιλοπονηρίας*. Haud dubie describuntur ibi morum genera e vitae veritate desumta atque characterum notatione definitiones subsequente satis claram nobis informare possumus huius farinae hominum imagines. Sed nomina iis imposita neutiquam ita certis finibus circumscriptam significationem habent, ut continuo siquis ea audierit, certam horum characterum et qualem scriptor innuit, formam mente concipere possit. Quod quidem in nominibus ponendis incommodum non potuit non etiam eorundem characterum exacte circumscribendis definitionibus obesse. Atque haec est

una earum causarum, quas supra has definitiones minus accuratas reddere significavi ex ipsius rei difficultate repetenda. Altera causa ea est, quod scriptor hoc ita esse probe intelligens consulto et prudens in hac operis parte nimium desudare noluit. Cuius consilii auctorem quodamodo habuit ipsum Aristotelem, qui, ut iam vidimus, etsi in virtutibus et vitiis definiendis id acumen ostendit, quale a serverioris artis logicae parente exspectaveris, neque tamen molestam et nimiam sedulitatem adhibet, sed omnino in hoc genere ipsum aspectum et vitae usum plurimum valere nos identidem docet. Eo pertinet, quod Theophrastus in capitum initiis plerumque imperfectas definitionum et ad severissimam artis legem non plane factas circumscriptiones deprecatur pluribus loquendi formulis et ab Aristotele in eadem causa frequentatis. Quales sunt primum usus verbi *δοκεῖν* et omnino eae loquendi rationes, quibus utuntur qui non cum asseveratione se loqui significant [1]; deinde locutiones: *ὡς τύπῳ λαβεῖν*, *ὡς τύπῳ εἰπεῖν*, similes, quibus rudis alicuius rei et tantum inchoata designatio indicatur. Nihil autem apud Aristotelem earum ipsarum locutionum usu et in simili quidem causa frequentius. Exempla proferre non attinet, cum neque res obscura sit et iam alio loco hanc operam praestiterim [2]. Neque minus in his Theophrasteis definitionibus totum dicendi genus est cogitandum, quod huius libelli scriptor usurpavit magis in rerum copia colligenda,

---

[1]) C. f. Cap. I. II. IV. XIII. XVI. XXI. XXIII. XXV. XXVI. XXVII.

[2]) Ad Aristot. Eth. Nic. t. II. p. 8 et p. 4.

quam in oratione elaboranda occupatus. Atque de definitionibus haec quidem hactenus, unde hoc, ni fallor, apparet: ut sint plures earum librariorum culpa turbatae, bonam tamen obscuritatis, qua laborant, et difficultatis partem in ipsius rei ratione inhaerere, tum in tota earum conformatione Aristotelicum quendam esse colorem. Quod quidem postremum multo clarius constabit, si ad singulas explicandas pervenerimus.

Definitiones subsequuntur ipsorum characterum notationes. Qua quidem in re hoc primum observandum est, notationes cum definitionibus semper eodem fere modo coniungi et per totum libellum ab eadem fere loquendi formula incipere, id est ea, quae primo statim capite occurrit: ὁ δὲ εἴρων τοιοῦτος τις, οἷος etc. nullo capite deinceps praetermissa [1]). Huic formulae subiunguntur notationis partes aut, ut dici possunt, singulae characteris describendi notae, non magis vario orationis genere conflatae sed iteratis particulis copulativis utcunque constrictae. De notationum ipsarum indole et conformatione, hoc mihi inprimis videtur tenendum, quod iam supra significavi, earum partes adeoque singulas notas non ita esse congregatas et in unum quasi corpus confusas, ut perpetuis narratiunculis, aut una

---

[1]) Reperitur hoc loquendi genus sequente aut infinitivo aut verbo finito apud optimos scriptores, inprimis Atticos, etsi omnium nullus, tam assidue, quam characterum scriptor, frequentat. Neque apud Aristotelem deest, e quo quidem cum ii, qui hanc locutionem attigerunt, exempla promere praetermisisse videntur, aliquot loca adscripturus sum. Cf. igitur Eth. Nic. IV. 3, 24. 9, 6. VII. 9 in fine. Rhetor. II. 5. p. 756. Mag. Mor. I. 29. II, 9. p. 246. A. ed. Duval.

quasi scena aut continuata scenarum serie contineantur, sed plerumque aliam ab alia esse loci, temporis, rerum ratione plane seiunctam et separatim positam, haud aliter quasi siquis diligens vitae hominumque observator et in coetibus, circulis, omniumque omnino hominum commercio assiduus, sibi diversorum morum ad sua genera revocatorum indices conficeret, iisque adderet nude et sine ulla orationis artificio, quidquid ubique in diversis hominibus, diversis temporibus ac locis ad idem vitiorum aut virtutum genus pertinens vidisset. In paucis tantummodo, ubi res ipsa fert, continuatae habentur notarum descriptiones ut Cap. XXV et Cap. VI. Aliquot alia capita Barthelemy in suo opere, quod omnium manibus teritur (Tom. III. cap. 28) ita interpolavit, ut dissipatas notas in una tabula depictas includeret, quem locum siquis comparaverit, quid inter haec duo notationum genera intersit satis clare videbit. Quapropter hi Theophrastei characteres, ut dispersa quidem mimicae descriptionis quasi elementa continent, atque hactenus optimo iure a Casaubono inter philosophicam et poeticam morum descriptiones in medio collocati dicuntur: ita Astius mihi non parum in eo falli videtur, quod eosdem veros mimos dicit et cum Theocriteis nonnullis carminibus, cum Sophronis Xenarchique mimis et mimica morum imitatione, qualis in Platonicis dialogis cernitur, ut non admodum diversos contendit, atque meram delectationem in iisdem sibi scriptorem proposuisse pronuntiat [1]). Multum inter utrumque genus interest. Poetae enim et ut quisque ad poetarum rationem

---

[1]) Prolegom. p. 25.

proxime accedit, in plane singularibus versantur et personis et locis et moribus depingendis summa cum veritate, neque ad genera revocant, neque definitionibus comprehendunt, neque singulas descriptionis particulas rerum tempore et locis seiunctarum, tantum universi generis participatione coniunctarum aliam alii tanquam in nudo indice annectunt. Sed cum in his characteribus aliquid mimicae rationis inesse concedimus, vere mimicos praecise negamus, ne quis nos de verbis disceptare putet. Magni enim interest ad universi libelli indolem et germanam formam cognoscendam utrum scriptoris consilium fuisse statuas. Nam si hoc constaret, scriptorem vere mimicam meditatum esse morum imitationem, satis tuta coniectura aliquis adduceretur ad credendum, primum et verum libelli auctorem, poetarum aemulum poeticam quoque rationem secutum, his ossibus sanguinem quoque et carnem addidisse et ex his membris dissipatis unum corpus effecisse; eam vero, quam nunc libellus formam refert, epitomatoris deberi studio pernicioso, ossa detegentis et hunc succinctum indicem ex uberiore rerum copia sibi in quemcunque usum conficientis. Nunc vero omnia alia sunt. Est haec morum pictura, quam libellus noster continet, non ingenii lusu et quasi sponte nata, qualia a poetis eorumque similibus fundi videmus, sed profecta potius ab erudita diligentia, a callida et cogitabunda vitae et morum observatione, quam qui consectatur, naturarum et ingeniorum varietates introspicere et tenere sibi proponit, in iis artificiosa imitatione exprimendis non admodum laborat; ut verbo rem complectar, profecta est ab illa Aristotelica et omnino Peripatetica ratione, quam qui secuti sunt,

rerum cognoscendarum studio flagrantes, omnes naturae et vitae partes observare, examinare, in eridutionis suae quasi receptaculis condere et utcunque litteris consignare semper maluerunt, quam poetica quadam imitatione repraesentare aut verborum colorare pigmentis.

Restat nunc, ut singula libelli capita persequamur cum Aristotelicis scriptis conferenda. Sed hanc quidem alteram opellae nostrae partem in aliud tempus differamus, ne iusto longiores simus. Neque enim, Commilitones, cum solito more eiusmodi scriptiones vobis novum studiorum curriculum ingredientibus offeruntur, librum exspectatis, neque nobis quidquam aliud in his elucubratiunculis propositum est, quam ut non tantum verbis, sed, quod plus valet, exemplo quoque vos cohortari videamur, ut statim scholarum initio strenua diligentia et alacritate studia repetatis, nullo tempore deinceps cessaturi. Quapropter cum deus iterum vobis discendi, nobis docendi concesserit opportunitatem, hoc agite, revertite ad optimarum artium studia, quibus nihil fructuosius, nihil suavius; toto pectore in ea incumbite. Atque quia probe nostis, quam parum sit in litteris a morum integritate seiunctis aut decoris aut praesidii: copulate cum doctrina honestatem, qua quidem coniunctione nihil potest excogitari praeclarius. Efficite, optimi invenes, ut siquis Theophrastum, de quo modo disputavi, aemulaturus vestros mores exprimere velit, nihil in iis deprehendat inepti, nihil perversi, nihil agreste, sed omnia sana, integra, humanitatis et elegantiae laudibus conspicua. Neque putate, Commilitones, cum ad virtutem et honestos mores vos cohortamur, nos nonnisi solennem quandam et statam

formulam decantare. Sed hoc vobis persuasum sit omnibus, nihil iis, qui studia vestra regunt, antiquius haberi, nihil iis magis cordi esse, quam praeclarissimum illum honestatis cum doctrina concentum, ad quem quidem in animis vestris efficiendum omnes suas curas dirigere, omne hoc quotidianum docendi et praecipiendi munus conferre, omnem denique sermonum et consiliorum rationem et verum etiam, ubi opus fuerit, legum adhibere severitatem nunquam sunt destituri.

NATALITIA
AUGUSTI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS
LUDOVICI GUILIELMI AUGUSTI
MAGNI BADARUM DUCIS
RECTORIS NOSTRI MAGNIFICENTISSIMI
RITE PIEQUE CELEBRAT
DIE IX. FEBRUARII MDCCCXXV
ACADEMIA ALBERTO-LUDOVICIANA.

INEST DE THEOPHRASTEORUM CHARACTERUM INDOLE EX ARISTOTELEA RATIONE REPETENDA COMMENTATIO ALTERA.

Etsi eorum, qui magnis nos sibi beneficiis obligarunt, nunquam ex animis nostris memoria effluere debet, incidunt tamen tempora et dies, qui singulari eam redintegrare vigore et novam nobis quandam alacritatem addere videntur, ut, quos perpetuo in pectore reconditos habemus officii, grati animi, obsequii sensus, eos iam verbis significare et voce proferre natura ipsa impellamur. In quorum dierum numero nescio an ii maximam vim habeant, quibus annua temporis conversione redeuntibus bene de nobis meritorum natales celebramus. Iure enim dies omni gratulationum genere celebratur, quo ii primum luce frui coeperunt, qui suarum nos virtutum et beneficiorum luce recrearunt. Iam igitur, Cives academici, cum Deo annuente Ludovici

ditas ad clarissimorum maiorum inclytos nepotes saeculis labentibus rediit, multis et insignibus mactata sit beneficiis, a nullo tamen principe universitatem nostram literariam tanta beneficia accepisse ac tam praeclara, quam ab hoc ipso, cuius nunc imperio regimur, Ludovico Guilielmo. Academia enim nostra nunquam doctorum nominibus carens aevum duraturis, temporum inuria et tempestatibus bellorum inde a saeculo superiori exeunte non quidem de dignitate sua quidquam amiserat, multa tamen ad docentium et discentium commoditates necessaria desiderare coepit. Tandem post varias rerum vicissitudines non multo ante huius nostri principis imperium in id discrimen adducta erat, ut iam non de ornamentis suis, sed de ipsa salute periclitaretur. Possit aliquis almam hanc et perantiquam Musarum sedem, qualis tunc fuit, non male conferre cum aede antiquitatis religione sacra et egregii conspicua operis artificio, sed minori hominum frequentia celebri, sed pluribus, quae usus requirit, carente. Iam vero cum Ludovicus, augustissimus princeps, reipublicae gubernacula cepisset, benignioris sideris lux universitati nostrae affulsit. Non solum enim, quos sumtus egregia statuum, quos vocamus, popularium voluntas ad Albertinam sustentandam et ornandam ex aerario conferri petiit, optimus princeps liberalissime sanxit, sed ita etiam contulit, ut et professorum stipendia augeri, alios arcessitos in vacuis cathedris collocari, omniaque ad disciplinarum artiumque necessaria supellectilia comparari et exornari iuberet: atque, ut clare ostenderet, quam paterno hanc academiam animo foveret, nominis sui eandem est dignatus honore et Alberto-Ludovicianam

hac ratione filiam sibi adoptavit. Tali autem patrono Musae nostrae denuo recreatae laetiore indies facie nitescunt, et quae aliquando de ipsa salute desperare coepissent, iam dignitatem suam novis ornamentis stabilitam et illustratam laetantur. Iam frequentes confluunt optimorum studiorum amantes iuvenes, iam undique docentium vocibus auditoria constipata personant, et quicunque ad nos literis operam navaturi venerint, exoptatam reperiunt et commodam opportunitatem discendi.

Quae cum ita sint, Commilitones, principi nostro clementissimo egregias suas virtutes et paternum in hanc academiam amorem vere et ex animo gratulemur, eique gratias agamus, non quales meretur (quod fieri vix potest), sed quales agere possumus, atque rogemus Deum optimum maximum ferventissimarum precum supplicationibus, ut talem principem per longe continuatam plurimorum annorum seriem nobis praestet salvum et incolumem, quo vivo et florente etiam universitas nostra literaria, cuius pro salute suum ipsius nomen quasi oppigneravit, salva et incolumis non esse non potest. Persuasum autem vobis sit, Commilitones, nulla alia re melius gratias referri *Rectori magnificentissimo* Alberto-Ludovicianae a vobis posse, quam si literis, quarum causa apud nos degitis, diligentem et strenuam operam impenderitis, atque si morum humanorum vereque liberalium laudem, sine qua literis dignitas sua constare nequit, non minori quam literas appetieritis studio. Nos autem, quo vobis significemus, nunquam et ne per laetissimarum quidem feriarum celebritatem bonarum artium usum plane deponi oportere, ex veteri instituto

lucubratiunculam aliquam proponamus: atque ut milites in imperatoris honorem festis diebus decursiones suas facere et campestres meditationes ostentare solent, ita nos pacifica haec promamus studiorum arma et in hac Musarum palaestra exerceamur.

In superiori de characteribus Theophrasteis commentatione disputatio a nobis eo erat perducta, ut appareret, universum huius libelli consilium, formam, tractationem neutiquam abhorrere a disciplina Peripatetica, imo eam ipsam definitionum parum exactam diligentiam et praecisam in notationibus morum describendis brevitatem, in qua plerique offendere soleant, ab Aristotelea ratione non admodum esse alienam. Quod tamen nequis ita accipiat, quasi ab epitomatorum importunis studiis aut a ludibriis librariorum hoc elegantissimi ingenii monumentum liberum et intactum praestemus, qui quidem locus peculiari disputatione perpurgandus est; sed ut sint hi characteres in brevius contracti, ut sint decurtati, ut sint laceri, haec damna non tam eorum formam et conditionem adulterasse, quam attenuasse volumen putanda sunt. Iam pertexamus hanc telam, et, quod nos facturos esse significavimus, singulorum capitum definitiones cum Aristotelica doctrina conferamus. Suscepit quidem hoc munus iam alius interpres Theophrasti; magnum illum Casaubonum dico, qui doctrinae copia id effecit, ut in explicandis Atticorum moribus vel cum hoc ipso scriptore, Athe-

narum alumno, quodam modo certaret. Neque tamen me actum agere existimo: nam plura, quae ad hanc comparationem plenius instituendam pertinent, ibi omissa sunt, alia accuratius definienda, omnia denique per commentarios ad singula capita dispersa et aliis aliorum scriptorum locis implicita, quae quidem separatim posita, et in unum corpus conflata multo clariorem intellectum et certius de tota quaestione iudicium nobis pariunt.

Aristoteles in praeclari Ethicorum Nicomacheorum operis libro secundo (cap. 7) omnibus virtutibus et vitiis brevi adumbratione enumeratis, deinceps tractandis uberius, libro quarto plurima morum genera persequitur, quorum in Theophrasteo libello notationes continentur. Ad hanc igitur quasi obrussam, adhibitis etiam Eudemeis et Moralibus Magnis, has characterum definitiones exigamus. Qua quidem in comparatione ea capita, quae eiusdem sunt generis, complectar; neque vero ideo putaverim talem ordinem a scriptore ipso in characteribus collocandis esse observatum, quam sententiam tamen Schneiderus in editione sua secutus capitum seriem contra codicum auctoritatem immutavit. Nam quod in procemio scriptor profitetur, se κατὰ γένος mores esse descripturum, non eo mihi pertinere videtur, quo visum est Schneidero, cum potius hoc significet libelli auctor, se non singulorum et certorum hominum mores esse depicturum, sed eos, qui eodem aut vitio aut virtute sint conspicui, se communi quadam et generatim expressa notatione efficturum. Sed siquis characterum capita in ordinem e moralis disciplinae praeceptis petitum redigere velit, hanc potius quam sumus

e Codicis Florentini auctoritate delendum, vocabulo ὁμιλίας iam satis significatum. Iam notationem inspicienti, quae definitionem εἰρωνείας subsequitur, plane aliud hominum genus prima fronte videbitur effictum esse, quam quod Aristoteles in Ethicis significat, et cuius tam praeclarum exemplar in Platonico illo Socrate cum delectatione admiramur. Neque enim apud Theoprastum lenis illa et commoda dissimulatio et ingeniosus cavillationum lusus, sed aliquanto robustior repraesentatur nequitia malitiosi et cum acerbitate superbiaque illudentis, vafri derisoris. Sed si accuratius introspexeris, huius characteris artifex neque cum Aristotele pugnat, neque contra communem loquendi usum committit. Aristoteles enim et ipse ironiam in vitio ponit et omnino reiicit, certo tantum cuidam hominum generi permodice cavillationibus utentium eam morum elegantiam relinquens, quam nos plerumque, cum de ironia sermo est, Platonici Socratis et rhetorum praeceptorum memores continuo cogitamus. (V. Eth. Nic. IV., 7, 16.) Alterum genus hominum huic contrarium, quod neque cavillationi temperat, eamque in rebus apertis et vulgaribus atque sine ullo exquisitiore ingenii acumine exercet ut non descripsit, ita significavit tamen (l. l.): neque igitur latiorem huius vocabuli usum ignoravit. Atticorum autem cum omnino hoc cavillandi studium proprium esset [1]), quotusquisque eorum irrisionis

---

[1]) V. Dicaearch. Vit. Hellad. Fragm. p. 182. in Creuzer. Meletem. T. III. οἱ μὲν Ἀττικοὶ περίεργοι ταῖς λαλιαῖς, ὕπεθλοι cet. et loci a Casaubono laudati ad Theophrast. cap. I. p. 18. Ed. Fisch. collato Wielandio in Aristippo Tom. I. p. 65. Ed. Caroliruh. Nescio an haec observatio de communi Atticorum

invidiam tanta ingenii elegantia et disserendi suavitate diluerit, quantam in illo sapientissimo sene cum non minori voluptate quam fructu admiramur? Quapropter mirum non est, ut apud nostrum scriptorem, ita apud reliquos εἰρωνείας vocabulum non minus saepe de vitio improbe cavillantium, quam de elegante deridendi consuetudine usurpari, cuius quidem usus iam Casaubonus satis exemplorum attulit, quibus addi possunt Aristot. Rhetor. II., 5. p. 756. A. Duval. Donat. ad Terent. Eunuch. II., 2, 40.

Qui in hac veritatis mediocritate non defectu, ut εἴρων, sed excessu peccat, ab Aristotele ἀλαζὼν vocatur atque accuratius ita describitur Eth. Nic. IV., 7, 2. p. 197. δοκεῖ δὴ ὁ μὲν ἀλαζὼν προσποιητικὸς τῶν ἐνδόξων εἶναι, καὶ μὴ ὑπαρχόντων καὶ μειζόνων ἢ ὑπάρχει. — 10. ὁ δὲ μείζω τῶν ὑπαρχόντων προσποιούμενος μηθενὸς ἕνεκα φαύλῳ μὲν ἔοικεν· οὐ γὰρ ἂν ἔχαιρε τῷ ψεύδει· μάταιος δὲ φαίνεται μᾶλλον ἢ κακός. Deinde § 12 duplex ἀλαζόνων genus distinguit, et eorum qui gloriolam, et qui lucrum captantes hoc iactantiae vitio laborant. Theophrastus de eodem sic habet (cap. XXIII.): Ἀφέλει ἡ ἀλαζονεία δόξειεν ἂν εἶναι προσδοκία τις ἀγαθῶν οὐκ ὄντων. In vocabulo προσδοκία mendose scripto latere προσποίησις consentiens fere est interpretum iudicium, quod sequor. Neque vero mihi, quod

---

cavillandi consuetudine ad recte diiudicandam Socratis ironiam adhuc non satis adhibeatur, quae quidem ut ex intimis divini huius ingenii penetralibus est repetenda, ita habet etiam populare aliquid ab eius persona minime alienum, qui in omni vivendi et loquendi ratione popularium suorum mores non fastidiret.

Casaubono praeeunte omnes fere censuerunt, necessario requiri videtur additamentum πρὸς δόξαν aut δόξης χάριν, etsi Aristoteles haec bina ostentatorum genera statuit, et is, quem Theophrastus effingit, ostentator aperte ad eos pertinet, qui non lucri cupidine, sed perversa sua natura et inanis gloriolae aucupio ducti iactantia utuntur. Nam neque Aristoteles hoc discrimen in definitionem ipsam intulit (§ 2. l. l.), sed in uberiori demum explicatione definitionem subsequente proposuit.

Praeter hos binos characteres modo recensitos etiam alii e Theophrasteo libello huc revocari possunt, et ipsi a veritatis virtute recedentes, primum nimii officii et malae sedulitatis (cap. XIII. περὶ περιεργίας), cuius definitio plane cum εἰρωνείας definitione conspirat, nisi quod pro ἐπὶ χεῖρον additum habet μετ' εὐνόιας ad naturae quandam bonitatem significandam et speciem benevolentiae, quae cum eiusmodi hominum ineptiis coniuncta esse solet; deinde famigerulorum (περὶ λογοποιΐας Cap. VIII.), qui falsos rumores spargendo delectantur; postremum maledicorum (Cap. XXVIII. περὶ κακολογίας.), qui conviciando nonnunquam fortasse verum dicunt, neque tamen ita veritatem colunt, ut non saepe crimina undequaque quaerentes eam laedant. Possunt tamen hi characteres etiam ad alia genera trahi, et περιεργία quidem ad eorum mores qui in vitae quotidianae usu omnibus nimis iusto placere student; λογοποιΐα autem et κακολογία ad garrulitatis vitium. Sed utut hoc est, Aristoteles, cum cuius doctrina morali hunc libellum conferimus, haec hominum genera neque diserto nominat, neque ut reliquos qui veritatis medio-

critatem migrant, accuratius describit. Quod mirum esse non debet, cum ex instituti sui ratione capita tantum virtutum et vitiorum proponere, neque vero incredibiles eorum varietates persequi potuerit.

Iam sequantur eorum characterum descriptiones, qui ex Aristotelea ratione et ipsi in quotidianae vitae usu et societatis commercio cernuntur, neque vero circa veritatis, sed, ut ipsius loquendi genere utar, circa iucunditatis rectum modum sive mediocritatem versantur. Non omnes enim in hoc genere rectam et sanam rationem sequuntur, cum alii nimio et caeco studio id solum agant, ut quam plurimis placeant, adeoque ad blanditiarum dedecus et adulationem delabantur, alii contra tam longe absint ab omni humanitatis officio, ut vel offendere quibuscum vivunt, iisque omnimodam molestiam creare minime vereantur. Atque hae vitiositates cum in risu et ioco, in quibus praecipuus voluptati locus est, tum in omnibus reliquis vitae partibus existunt, ab Aristotele brevi significatione in hunc modum adumbratae (Eth. Nic. II., 7, 13. p. 100): *περὶ δὲ τὸ ἡδύ, τὸ μὲν ἐν παιδιᾷ, ὁ μὲν μέσος, εὐτράπελος· καὶ ἡ διάθεσις εὐτραπελία· ἡ δὲ ὑπερβολή, βωμολοχία, καὶ ὁ ἔχων αὐτὴν, βωμολόχος· ὁ δὲ ἐλλείπων, ἄγροικός τις, καὶ ἡ ἕξις ἀγροικία· περὶ δὲ τὸ λοιπὸν ἡδὺ τὸ ἐν τῷ βίῳ, ὁ μὲν ὡς δεῖ ἡδὺς ὤν, φίλος, καὶ ἡ μεσότης φιλία· ὁ δὲ ὑπερβάλλων εἰ μὲν ἐδενὸς ἕνεκα, ἄρεσκος, εἰ δ' ὠφελείας τῆς αὐτῷ, κόλαξ· ὁ δ' ἐλλείπων καὶ ἐν πᾶσιν ἀηδὴς, δύσερίς τις καὶ δύσκολος.* Uberius eundem locum retractat IV., 6 et 8. quibuscum Cf. Eth. Eudem. III., 7. Mag. Moral. I., 29 et 32. Iam videamus de Theophrasto, e cuius characteribus ad hoc genus

revocandi sunt cap. II. *περὶ κολακείας*, c. V. *περὶ ἀρεσκείας*, c. XI. *π. βδελυρίας*, c. XII. *π. ἀκαιρίας*, c. XV. *π. αὐθαδείας*, c. XIX. *π. δυςχερείας*, c. XX. *π. ἀηδίας*. Atque excessu quidem peccant *ἄρεσκος*, *κόλαξ*, *βδέλυρος*, quorum notationes primum persequamur. Iam *ἀρέσκεια* ita definitur: *ἔντευξις ἐκ ἐπὶ τῷ βελτίστῳ ἡδονῆς παρασκευαστική*. Qua in definitione Fischerus, Astius et qui eos sequuntur verba *ἐκ ἐπὶ τῷ βελτίστῳ* non satis accurate mihi explicare videntur: nihil enim aliud significant, nisi omnino hoc placendi studium, quia nimium est, non esse satis honestum, neque rectum, plane eodem sensu, quo apud Platonem, Xenophontem, alios dicitur *παρὰ τὸ βέλτιστον πράττειν* Cf. Heindorf. ad Plat. Gorg. § 125. p. 192 et § 147. p. 231. § 45. p. 60. qui locus novissime positus imprimis huc facit: *δύο παρασκευὰς ἔφαμεν... μίαν μὲν πρὸς ἡδονὴν ὁμιλεῖν, τὴν δ' ἑτέραν πρὸς τὸ βέλτιστον*. Quam apte autem Theophrastea definitio cum Aristotelis usu conveniat, satis patet. Conferendus etiam est locus eiusdem Eth. Nic. IX., 10, p. 426. *οἱ δὲ πολύφιλοι καὶ πᾶσιν οἰκείως ἐντυγχάνοντες ἐδενὶ δοκοῦσιν εἶναι φίλοι πλὴν πολιτικῶς, ὃς καὶ καλοῦσιν ἀρέσκους.* [1]) Cum his et Aristotelis et Theophrasti definitionibus optime concinit characteris notatio usque ad verba *καὶ πλειστάκις δὲ ἀποκέιρασθαι* cet. Quae deinceps sequuntur usque ad finem non satis quadrare videntur. Ibi enim non eius generis homo, qui hoc unum agit, ut sermonum

---

[1]) Is est haud dubie locus, quem Casaubonus ad huius capitis initium (p. 62. Ed. Fischer), cum memoria lapsus ad librum Eth. VIII. provocaret, significaturus erat.

blanditiis et curiosa in congressibus comitate omnibus placeat, qualis tamen ἄρεσκος est, sed is potius describitur, qui in vestitu et omni cultu nimiam elegantiam sectatur, eandemque in frivolis et minutis rebus conspicuam: ita, ut maxima interpretum pars Casaubonum sequentium hic duo capita praeciso alterius initio male conglutinata esse statuat, inter quos Astius, praeeunte viro docto Italo, hanc posteriorem partem cum capite περὶ μικροφιλοτιμίας (XXI.) coniunxit. Equidem ut concedo in hoc capite duo characteres male coaluisse, ita alterum a verbis demum καὶ τῆς μὲν ἀγορᾶς est initium capere censeo. Nam illae notae, quae proxime praecedunt καὶ πλειστάκις ἀποκείρασθαι — χρίσματι ἀλείφεσθαι mihi in eum, qui omnibus modis iucundus, bellus, dulcis apparere satagit, imprimis cadere videntur. Cf. Aristot. Rhet. II. p. 753. C. Ed. Duval. Xenoph. Sympos. IV., 57.

A blando sive ἀρέσκῳ adulator sive κόλαξ hoc differt, quod commodum suum in hac blanditiarum arte quaerit, cum ἄρεσκος sine suo fructu voluptatem aliis creare et omni modo placere studeat. Quod discrimen Aristoteles denuo inculcat Eth. Nic. IV., 6, 9. coll. IV., 3, 29. In Eudemeis (III., 7) et Moralibus Magnis (I., 29 et 32), ubi non tam accurata subtilitate disseritur, κόλακος et ἀρέσκε vocabula promiscue usurpantur. Apud Theophrastum (cap. II.) haec est eiusdem vitii definitio: τὴν δὲ κολακείαν ὑπολάβοι ἄν τις ὁμιλίαν αἰσχρὰν εἶναι, συμφέρεσαν δὲ τῷ κολακεύοντι. Ibi igitur plane ut ab Aristotele factum est, lucri aucupium inter eas notas ponitur, quae adulatoris naturam vere efficiunt. Quodsi autem ad severiorem rationem exigas nimis lata definitio

videri possit. Haud unum enim hominum genus et cogitari potest et reperitur, qui ex quotidianae consuetudinis usu honestatis immemores emolumenta quaerunt. Debebat addi placendi studium. Sed ut ea taceamus, quae non semel de harum definitionem indole monuimus, in charactere tam aperto et Athenis Atticis nimium quantum cognito, eo magis sibi indulgere potuit scriptor. Sensit tamen hanc definitionis non satis accuratam circumscriptionem etiam Casaubonus, ut pro *αἰσχρὰν* se *ταπείνην* malle significaret. Neque vero quidquam immutandum mihi videtur; alioquin in promtu esset sic satis speciosa, ni fallor, coniectura: *ὁμιλίαν εὐχερῆ* i. e. consuetudinem facilem, commodam, suavem, quo quidem sensu haec vox occurrit Eudem. III., 7. *ὁ μὲν γὰρ εὐχερῶς ἅπαντα πρὸς τὰς ἐπιθυμίας ὁμιλῶν κόλαξ.* Sed in lectione vulgata acquiesco, quae cur tolerari possit etiam melius apparet ex ea ratione, qua Epitomator Codicis Monacensis nuper excussi in Actis Philolog. Monacens. Tom. III. Fasc. 3. haec verba concepit: *ἡ δὲ κολακεία συμφέρει μὲν τῷ κόλακι, ἀλλ' ὅμως αἰσχρά ἐστιν ὁμιλία.* Ceterum de hac adulatorum natione, quae nusquam laetius quam Athenis pullulavit, praeter ea, quae adhuc ab interpretibus ad Theophrastum allata sunt, alia restant haud pauca e veteribus scriptoribus petenda admodum iocosa et salium festivate aspersa, ea denique, quae luculenter faciunt ad vivendi consuetudinem Atticorum et usum accuratius cognoscendum. Sed his omissis nunc quidem id unum agimus ut Theophrasti definitiones cum Aristotelea doctrina plena comparatione contendamus.

Atque hi quidem, de quibus modo vidimus, blandus

et adulator omnino in omni vitae quotidianae usu τοῦ ἡδύνειν, ut Aristotelis verbo utar, nimis studiosi sunt et excessu peccant; sunt vero etiam alii ex Aristotelis sententia, qui in risu et ioco captando ut aliis placeant, sanam illam et veram mediocritatem transgrediantur. Praeter locum supra laudatum accuratius de iisdem tractat philosophus Eth. Nic. IV., 8. Ibi igitur sic habet § 3. p. 200. οἱ μὲν ἐν τῷ γελοίῳ ὑπερβάλλοντες βωμολόχοι δοκοῦσιν εἶναι καὶ φορτικοὶ, γλιχόμενοι πάντως τοῦ γελοίου, καὶ μᾶλλον στοχαζόμενοι τοῦ γέλωτα ποιῆσαι ἢ τοῦ λέγειν εὐσχήμονα καὶ μὴ λυπεῖν τὸν σκωπτόμενον. Deinde § 6. veterem comoediam Atticam hoc vitio laborare significat. Postremum § 10. addit: ὁ δὲ βωμολόχος ἥττων ἐστὶ τοῦ γελοίου, καὶ ἔτε ἑαυτοῦ ἔτε τῶν ἄλλων ἀπεχόμενος εἰ γέλωτα ποιήσει· καὶ τοιαῦτα λέγων, ὧν ἐθὲν ἂν ὁ χαρίεις εἴποι, ἔνια δὲ οὐδ' ἂν ἀκούσαι. Aristoteles vocabulo βωμολόχου utens eos praecipue innuere videtur, qui lucellum venaturi risus movere student, scurras famelicos in hoc genere quaestum facientes. Neque Theophrastus exemplum proponere omisit, unde appareret, quam perversam et contemnendam multi rationem in iocando risum excitaturi sequerentur; sed tamen in βδελύρου moribus exprimendis (is enim character cap. XI. huc pertinet) aliam quodammodo eiusdem generis speciem, quam quae ab Aristotele significatur, ob oculos ponit. Non enim ibi scurram humilem conspicimus, sed hominem se ferociter in hac perversitate iactantem, non sine insigni morum impudentia et obscenitatis sordibus, qui tamen cum βωμολόχου moribus ab Aristotele notati hoc habet commune, quod ubique caeca quadam libidine risum captat; quod parum

curat, utrum laedat, cui illudit, nec ne. Quem impurum iocandi pruritum libelli auctor hac definitione complexus est: ἐ χαλεπὸν δέ ἐστιν τὴν βδελυρίαν διορίσαθαι· ἐστὶ γὰρ παιδιὰ ἐπιφανὴς καὶ ἐπονείδιστος. Iocus autem insignis intelligendus est nimius indeque immoderatus et turpis, cum ἐπιφανὴς ut latine *insignis*, *notabilis*, quod satis constat, in utramque partem accipiatur; qui quidem usus etiam apud Aristotelem locum habet, ut Eth. Nic. IV., 3 in fin. οἱ χαῦνοι ἠλίθιοι καὶ ἑαυτοὺς ἀγνοοῦντες καὶ ταῦτ' ἐπιφανῶς. Ceterum hoc ipsum caput insigne praebet documentum, quid sibi librarii aut epitomatores in hunc libellum permiserint. Nam quae olim finem versus post verba μεθύσκεσθαι μέλλει ibidem legebantur, iam ad caput αἰσχροκερδείας codicis Vaticani auctoritas pertinere evincit; et pro clausula huic βδελυρίας capiti non minus certa coniectura, etsi codices in aperto vitio conspirant, adiungenda sunt Schweighaeusero, Hottingero, Astio auctoribus, eā, quae codices in exitu capitis περὶ δυσχερείας exhibent inde a verbis καὶ εἰς ὀρνιθοσκόπε cet. usque ad finem. Denique ne quis cum Theophrasto de ipsius vocabuli βδελύρε usu expostulet ad hoc singulare hominum genus obscene petulantium traducti, cum alias apud scriptores Atticos latiori sensu omnino de impuris, illiberalibus, denique de sceleratissimo quoque usurpetur. Iterum enim inculco, quod iam supra attuli, innumeras esse morum varietates, et, si cum hac rerum abundantia comparaveris, non aeque magnam vel ditissimi sermonis ad has varietates denotandas vocabulorum copiam. Aliam vocem, qua eiusmodi homines propria et peculiari insigniret, scriptor non invenit:

detorsit igitur latioris sensus vocabulum ad has significationis angustias. Neque desunt tamen scriptorum loci, ubi βδέλυρος item de nimia et obscena in iocando licentia ponitur, ut apud Plutarchum de adulator. discrim. T. VII. p. 219. Ed. Hutten. de veteris comoediae auctoribus in eodem genere nimiis et effrenatis: *συμμεμιγμένον δὲ τὸ γελοῖον αὐτοῖς καὶ βωμολόχον ἐξίτηλον ἐποίει τὴν παῤῥησίαν καὶ ἄχρηστον, ὥστε περιῆν κακοηθείας δόξα καὶ βδελυρίας τοῖς λέγεσι.*

Hactenus de iis, qui Aristotele auctore *περὶ τὸ ἡδὺ* lineam recti usus excedunt. Iam ad eos deferimur, qui contrario vitio laborantes in eodem genere *κατ' ἔλλειψιν* peccant, de quibus post illam brevem delineationem supra transscriptam haec docet philosophus (IV., 6, 2. p. 193): *οἱ δ' ἐξ ἐναντίας τούτοις πρὸς πάντα ἀντιτυπῶντες καὶ τῷ λυπεῖν ἐφ' ὅτιῶν φροντίζοντες δύσκολοι καὶ δυσέριδες καλῶνται.* § 9, *ὁ δὲ πᾶσι δυσχεράινων εἴρηται ὅτι δύσκολος καὶ δύσερις.* In Eudem. III., 7 idem vitium *ἐχθρὰ* nominatur, et qui eo laborat *ἀπεχθητικός*, deinde paulo inferius *αὐθάδεια* et *αὐθάδης*. In Mag. Moral. I., 29 et 32. idem loquendi usus servatur. Quam multiplex sit hoc hominum genus in vitae usu iis, quibuscum vivunt, odiosorum et molestorum, iam inde apparet, quod philosophus pluribus eos nominibus significavit. Theophrastus ex instituti sui ratione etiam pluribus vocabulis distinxit ad plura capita revocando *περὶ αὐθαδείας* (XV.), *ἀηδίας* (XX.), *ἀκαιρίας* (XII.), *δυσχερείας* (XIX.), *ἀγροικίας* (IV.), quibus quodammodo adnumerari possunt *περὶ μεμψιμοιρίας* (XVII.) et ea in quibus garrulorum natio effingitur *περὶ ἀδολεσχίας* (III.) et *λαλιᾶς* (VI.). Atque primum *αὐθάδεια* sic

definitur: ἀπήνεια ὁμιλίας ἐν λόγοις. Est igitur morum ingrata et odiosa quaedam durities cum superbia coniuncta, non tam in sermonum consuetudine pertinax et contentiosa, quam omnino eam despiciendo arrogans. Idem vult philosophus Mag. Mor. loco laudato αὐθαδῆ ita describens: οἷος μηδενὶ ἐντυχεῖν καὶ διαλεχθῆναι, plane ut apud nostrum scriptorem est: ἐρωτηθεὶς εἰπεῖν πράγματά μοι μὴ πάρεχε, καὶ προσαγορευθεὶς μὴ ἀντιπροσειπεῖν. Hactenus αὐθάδει opponuntur ii, qui tantum absunt, ut taceant, ut plus iusto confabulentur, quorum terna Theophrastus genera constituit, primum languidos et longos sermones de rebus inanibus trahentium, ut senes fere facere solent (ἀδολεσχία); alterum concitata lingua et nunquam non blaterare gestiente omnia ebullientium, ut vix respirent (λαλία); postremo famigerulorum (λογοποῖα). Aristoteles et brevitatis studio et quia non tam a moralibus vitiis, quam a leviori quadam perversitate naturae proficiscitur, hunc linguae abusum non attigit. Reliqua vitia eorum, qui molestiam nobis pariunt praeter αὐθάδη, non tam sunt ἠθικά, quam διανοητικά, ut Aristoteles sermone utar, neque ex inhumanitate, sed potius ex inscitia quadam et ineptis consuetudinibus nascuntur. Inter quae primum occurrit ἀηδία eorum, qui incommoditatem nobis pariunt, non superbia, tristitia morum et duritie, ut αὐθάδης, sed meris ineptiis et insulsitate, in nostro libello sic definita: ἔντευξις λύπης ποιητικὴ ἄνευ βλάβης, ut etiam Plato aliquo loco (Phaedr. § 37) βλάβην ab ἀηδίᾳ seiunxit, cum dicit ἐραστὴν πρὸς τῷ βλαβερῷ καὶ εἰς τὸ συνημερεύειν ἀηδέστατον. De vocabuli ἀηδίας usu ad hunc characterem denotandum, ne

eum continuo, quod Blochius facit, epitomatori temere tribuamus, idem tenendum est, quod modo de βδελυρίας nomine significavi. Nimirum notatio huic ἀηδίας definitioni subiecta paucis exceptis certum et proprium aliquod morum genus constituit ab ἀκαιρίας et δυσχερείας vitiis diversum, ut clare ad h. l. Astius ostendit. Iam cum eidem proprium aliquod nomen attribuendum esset, aliter id fieri vix potuit, quam ut latius patentem significationem tali modo adstringeret. Finitimum molestorum genus in capite περὶ ἀκαιρίας hac definitione describitur: ἡ μὲν ἓν ἀκαιρία ἐστὶν ἐπίτευξις λυπῶσα τὰς ἐντυγχάνοντας. Quo loco in vocabuli ἐπιτεύξεως usu pro ἐντεύξεως positi aliquid insolens inesse videri potest, quanquam est etiam apud Platonem (Rep. VI., 6. p. 758. c.) ἐπιτυγχάνειν pro ἐντυγχάνειν, quem locum editores iam indicarunt; sed conferes Heindorfium quoque ad Platon. Euthydem. p. 327. In codice tamen Monacensi epitomator ἔντευξις posuit communem consuetudinem sequens. Ceterum neque haec definitio ad logicas rationes satis est adstricta, cum eiusmodi ἐπίτευξις et in ἀηδεῖς et in ἀκαίρους cadat. Neque tamen in hac re epitomatorem deprehenderim: in hoc enim non minus quam in κόλακος charactere, quod supra monui, vocabulum ipsum tam certam et apertam prae se fert significationem, ut plane accurata definitione, quales omnino huius libelli ratio non exigit, eo citius scriptor noster supersedere potuerit. Sequitur caput περὶ δυςχερείας (XIX.) eorum hominum mores effingens, qui non minus quam adhuc descripti molesti sunt in congressibus, sed ii quidem ob immunditiem et necessarii corporis cultus neglectum, quorum haec definitio

proponitur: ἔστι δὲ ἡ δυςχέρεια ἀθεραπευσία σώματος λύπης παρασκευαστική, similiter ut in coniunctis ἀηδίας et ἀκαιρίας characteribus est ἐντευξις λύπης ποιητική et τὲς ἐντυγχάνοντας λυπεῦσα haud dubie eo consilio, ut significaret omnes hos characteres in eodem genere, id est, περὶ τὸ ἡδὺ versari. Agmen huius generis claudit ἀγροικίας character, qui ut modo recensiti, et ipse in vitae communis consuetudine et congressibus cernitur, et eorum est, qui aut moribus aut habitu exteriore aut utroque genere rustici ab omni urbanitatis elegantia destituti sunt, quod quin aliis displiceant fieri non potest. Definitio (cap. IV.) ἡ δὲ ἀγροικία δόξειεν ἂν εἶναι ἀμαθία ἀσχήμων satis apte hoc morum genus declarat. Vocabulum autem ἀσχήμων non temere est additum elegantiae defectum in gestu, motu, omni denique corporis habitu significans, ut male sit in codice Monac. omissum. Apud Aristotelem ἀγρόικε vox alia quadam eaque innovata significatione usurpatur de eo, qui ab omni facetiarum elegantia et ridendi iocandique suavitate abhorret. (Eth. Nic. II., 7. III., 12. IV., 8. Eudem. III., 2.) Fecit hoc philosophus sermonis quadam, ut ipse significat, inopia adductus; nostro autem loco non erat, cur a communi usu scriptor noster recederet.

Atque haec quidem hactenus de iis et virtutibus et vitiis, quae, Aristotele auctore, in quotidianae societatis usu περὶ τὸ ἡδὺ versantur. Iam ad aliam pergamus mediocritatem et utrinque eidem opposita vitia: atque cum novissime de αὐθαδείας eiusque finitimis vitiis tractavimus, ὑπερηφανίας nunc sequatur non longo intervallo seiunctus character (cap. XXIV.). Pertinet autem ad eam mediocritatem, quae honoris studio recte

temperando continetur, ab Aristotele ita extremis quasi lineamentis expressa (Eth. Nic. II.; 7, 7. p. 198): *περὶ δὲ τιμὴν καὶ ἀτιμίαν μεσότης μὲν μεγαλοψυχία· ὑπερβολὴ δὲ χαυνότης τις λεγομένη· ἔλλειψις δὲ μικροψυχία.* Quae uberius explicat deinde (IV., 3) et cum singulari quadam cura. Insignis locus est, quia virtus ibidem proponitur antiquitatis propria, a christianae doctrinae praeceptis aliena, tum quia inter omnes Graecos Atheniensibus potissimum haec magnanimitatis laus tribuebatur (Dicaearch. Vit. Gr. p. 182); ut mirum non sit, philosophum in magnanimi moribus explicandis tanta cum diligentia immorari.

Haec autem est de hac virtute doctrina Aristotelis, qua breviter explicata, *ὑπερηφανίας* characteri quis locus sit assignandus, satis clare apparebit. Qui ob virtutis excellentiam magni et habendus est et ipse se habet, is dicitur *μεγαλόψυχος*. Sunt autem duo huic virtuti contraria vitia finitima, alterum eius, qui quanquam magni habendus se ipse parvi aut nihili aestimat sui ipsius male ignarus (*μικρόψυχος*), alterum vicissim eius, qui etiam peiore sui ignoratione caecus etiamsi nihili aut parvi aestimandus, tamen magni se habet et vana sui iactantia superbit (*χαῦνος*). Iam cum maximum eorum, quaecunque ab homine homini tribuuntur, sit honor, ut circa honorem versetur aequa et iusta uniuscuiusque aestimatio: *μεγαλόψυχος* tantum sibi honoris assumit, quantum par est; *μικρόψυχος* parum; *χαῦνος* nimium. Atque cum honor in excellentia quadam prae reliquis, quibuscum vivimus, cernatur, *μεγαλόψυχος* super alios se extollit, quantum decet, *μικρόψυχος* minus, *χαῦνος* magis iusto. Porro eorum, qui

verso nummorum usu cernuntur. In iis autem, quae huc pertinent, libelli nostri capitibus vel maxime Aristotelis auditorem agnoscas: tam presse praeceptoris vestigia sequitur hunc locum tractantis breviter primum Eth. Nic. II., 7, 4. p. 97, deinde uberius IV., 1. p. 159 seqq. Ἐλεύθερος igitur sive liberalis ex Aristotelis doctrina is est, qui verum modum servat ut in dando, ita in accipiendo; praesertim vero cernitur in dando sive largiendo. Qui ultra modum liberalitatis progrediens in excessu peccat, ut nimium profundat, ἄσωτος, qui citra lineam recti committit ἀνελεύθερος nominatur. Illiberalitatis autem plures sunt partes, plura genera, quae quidem singula definiendo vix satis clare distingui possunt. Sed cum illiberales intra rectum modum largiantur et ultra modum accipiant, omnino bipartitum hoc genus est hominum: aut enim sanam mediocritatem in accipiendo transgrediuntur aut in largiendo deserunt. Atque rursus eorum, qui parum largiuntur, partim honestam quandam diligentiae et providae parsimoniae speciem prae se ferunt, partim eadem carent, et aliquanto peiores non nisi metu fortasse absterrentur, quo minus aliena invadant. Qui in accipiendo nimii sunt, ii tantum abest, ut de suo quidquam largiantur, ut undecunque emolumenta quaerant et lucrum aucupentur, quocirca quanquam non eidem improbitatis gradui insistentes omnes communi tamen αἰσχροκερδείας vitio laborant. Atque haec fere Aristoteles. Iam compara mihi Theophrastum, quam accurate magistrum sequatur. Quatuor sunt apud eundem characteres, qui omnes ad unum illiberalitatis vitium pertinent, sed alius aliam partem repraesentat. Ac primum eorum, qui in lar-

giendo nimis parci habentur, bina sunt capita; totidem eorum, qui in accipiendo lucrum nimis iusto consectantur. Illorum capitum notationes ita inter se differunt, ut altera eos depingat, qui, ut Aristoteles dicit, *διά τινα ἐπιεικέιαν* nimis restricti sunt et attenti, altera eos, qui robustiore quadam improbitate in hoc genere committunt. Hi sunt characteres *μικρολογίας* (X.) et *ἀνελευθερίας* (XXII.), qui quidem idem vitium participant, sed *ἀνελευθέρου* illiberalitas insignior est, cum ne in iis quidem temporibus, ubi salvo honore non dare non possumus, nihil det; alter vero (*μικρολόγος*) et ipse ab omni in dando facilitate abhorret, sed ita tamen, ut honori magis consulere videatur. Quapropter quando huius quidem generis aliquem videmus, non tam neglectus honoris et honestatis sensus in oculos nobis incurrit, quam nimia quaedam et minuta rei familiaris cura. Quod quidem discrimen etiam definitiones utriusque characteris significant. *Μικρολογία* enim sic apud nostrum definitur: *ἡ δὲ μικρολογία ἐστὶ φειδωλία τοῦ διαφόρου ὑπὲρ τὸν καιρόν*, verbis satis apertis. Plane eodem hanc vocem sensu Aristoteles usurpat Mag. Mor. I, 25. ubi illiberalitatis genera recenset, alio loco (Eth. IV, 2) eadem significatione habet *ἀκριβολογίαν*. Vitium *ἀνελευθερίας* finitimum ita definit (cap. XXII.): *ἡ δὲ ἀνελευθερία ἐστὶ περιουσία τις ἀφιλοτιμίας δαπάνην φεύγουσα*, quemadmodum e Casauboni emendatione legendum videtur. De vocabuli *ἀνελευθερίας* usu idem est observandum, quod iam supra haud semel monuimus; esse a scriptore nostro latiorem eiusdem significationem aliquanto angustiorem redditam, ut nomen haberet, quo huius farinae homines insigniret. Iam

videamus de reliquis binis illiberalitatis partibus apud Theophrastum cap. IX. (*περὶ ἀναισχυντίας*) et XXX. (*περὶ αἰσχροκερδείας*) expressis, quas qui habent, ut iam est significatum, non tantum in largiendo sunt magis iusto tenaces, sed etiam lucrum venantur, unde salva honestate peti non licet; ac primum quidem de *ἀναισχύντῳ*. Quemadmodum igitur *ἀνελεύθερος* honoris, bonae famae, decoris ratione non absterretur, quo minus in largiendo iusto tenacior sit, ita nec *ἀνάισχυντος*, quo minus eo illiberalitatis procedat, ut vel alieno non parcat, a Theophrasto ita definitus (cap. IX.): *ἡ δὲ ἀναισχυντία ἐστὶ μέν, ὡς ὅρῳ λαβεῖν, καταφρόνησις δόξης αἰσχρᾶ ἕνεκα κέρδους*. Vitium autem *ἀναισχυντίας* licet latius pateat, cum haud unum sit impudentiae genus, haud una causa, tamen scriptor noster de pudore ob lucrum neglecto hoc vocabulum peculiariter usurpans, nihil admodum novi in loquendi usum intulit. Ea enim est fere causa, cur plerique pudorem deponere soleant. Neque Aristoteles (Rhet. II, 6) inter eas res, quarum nos pudeat, enumerare oblitus est *τὸ κερδαίνειν ἀπὸ μικρῶν ἢ ἀπὸ αἰσχρῶν*. Idemque *ἀναισχυντίαν* ad avaritiam refert, ubi de senum moribus tractat (l. l. cap. 13. p. 770. B. Duval): *καὶ ἀναίσχυντοι μᾶλλον ἢ αἰσχυντηλοί· διὰ γὰρ το μὴ φροντίζειν ὁμόιως τοῦ καλοῦ καὶ τοῦ συμφέροντος ὀλιγωροῦσι τὸ δοκεῖν*. Unde etiam in definitionibus (*ὅροι*) Platoni vulgo tributis: *ἀναισχυντία ἕξις ψυχῆς ὑπομονητικὴ ἀδοξίας ἕνεκα κέρδους*, et Eustath. ad Iliad. I, v. 149. *ἀναιδέιην ἐπιειμένε κερδαλεόφρων* adnotat: *δοκεῖ δὲ τοῖς παλαίοις φύσει ὁ φιλοχρήματος καί ἀναίδης εἶναι*. Sequitur *ἀναίσχυντον* apud Theophrastum *αἰσχροκέρδης*, qui et ipse illiberalis

est iusto plus undique capiendo et corradendo, sed ille quidem fronte aliquanto magis perfricato et robustiori impudentia. Id quod scriptor etiam definitione quanquam obscurius significare videtur: *ἡ δὲ ἀισχροκέρδειά ἐστι περιουσία κέρδους ἀισχροῦ.* Cum enim supra in *ἀναισχυντίας* definitione *ἀναίσχυντον* lucri causa bonam famam negligere simpliciter significasset, nunc *ἀισχροκέρδει* abundantiam quasi et cummulum turpis lucri attribuit. Quanquam non praecise negaverim, si quis cum omnibus fere interpretibus huius postremi capitis definitionem mancam aut turbatam iudicet. Possit ad idem genus revocari etiam *ἀπιστίας* character (cap. XVIII.), cum ii qui hos mores prae se ferunt, attenti sint, et in re familiari tuenda supra modum anxii. Quanquam nec ad id genus incommode traxeris, quod nunc expositurus sum.

Restat enim nunc nonnisi una Aristotelearum mediocritatum, ad quam quidem Theophrastea notatio morum timidi referri potest (cap. XXV.); eam dico, in qua fortitudinis laus continetur, ab Aristotele sic delineata Eth. Nic. II., 7, 2. *περὶ μὲν ἂν φόβους καὶ θάῤῥη, ἀνδρία μεσότης· τῶν δὲ ὑπερβαλλόντων, ὁ μὲν ἀφοβίᾳ, ἀνώνυμος· — ὁ δ'ἐν τῷ θαῤῥεῖν ὑπερβάλλων θρασύς· ὁ δὲ τῷ μὲν φοβεῖσθαι ὑπερβάλλων, τῷ δὲ θαῤῥεῖν ἐλλείπων δειλός.* Theophrasti haec est huius vitii definitio: (XXV.) *ἡ δειλία δόξειεν ἂν εἶναι ὕπειξις τῆς ψυχῆς ἔμφοβος.* De superstitione (*δεισιδαιμονία*), quam et ipsam huc non temere retuleris, cum animi sit anxii et timidi, Aristoteles nihil omnino habet, qui in suo quamvis divino opere a deo et religione plane seiunctam doctrinam moralem tradiderit. Theophrastus hanc timi-

ditatis formam hac definitione circumscripsit: (cap. XVI.) ἀμέλει ἡ δεισιδαιμονία δόξειεν ἂν εἶναι δειλία πρὸς τὸ δαιμόνιον.

Qui praeter hos characteres adhuc recensitos apud Theophrastum sunt reliqui, ad nullum virtutum genus ab Aristotele in mediocritate positarum satis commode referri possunt. Sunt autem περὶ ὀψιμαθίας (cap. XXVII.), ἀναισθησίας (XIV.) et φιλοπονηρίας (XXIX.). Quorum quidem primum caput ab Aristotele commemorari poterat Lib. VI. Eth. Nic. ubi de virtutibus et vitiis ad intellectum pertinentibus uberius tractat. sed tam minutim, tamque accurate vel singulas earum partes et species persequi a philosophi consilio est alienum. Ἀναισθησίας autem character plane ad ridendum compositus eiusmodi hominem repraesentat, qui singulari partim naturae partim malae consuetudinis vitio, quidquid sibi obvenerit, perverse accipit, et sui ipsius quasi nescius et oblitus non tam cogitare quam somniare videtur. Atque ut inter comoediam inprimis recentiorem et hos characteres non exigua intercedit similitudo, ita (quod nondum est observatum) hunc ipsum ἀναισθησίας characterem scriptor noster ad veteris comoediae exemplum quodammodo expresisse videri potest. Produxerat enim iam Cratinus Acco, plane eiusdem farinae mulierculam in scenam, unde nomen Accus et ἀκκίζεσθαι de hoc genere stuporis in sermonis usum abiit. V. Interpp. ad Aristoph. Eqq. v. 199. Similis persona est Coroebi, apud Aristophanem memorati, aliorum, de quibus V. Schol. ad Aristoph. Ran. v. 1021. Coll. Brunck. ad. Vesp. v. 129. Alterum vitium φιλοπονηρίας Aristoteles significavit, ubi de

amicitia tam plene et egregie tractat (Eth. Nic. IX., 3, 2), his verbis: ἅτε δὴ φιλητέον πονηρὸν, ἅτε δεῖ φιλοπόνηρον γὰρ ἐ χρὴ εἶναι, ἐδ' ὁμοιῶσθαι φαύλῳ· εἴρηται δ'ὅτι τὸ ὅμοιον τῷ ὁμόιῳ φίλον. Quacum sententia insignis est similitudo clausulae huius capitis, quae sic habet: καὶ τὸ ὅλον, φιλοπονηρία ἀδελφή ἐστι τῆς πονηρίας· καὶ ἀληθὲς ἐστι το τῆς παροιμίας Τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον πορεύεσθαι. Percommode mihi etiam Hottingerus monuisse videtur hunc φιλοπονηρίας characterem ad civilem vitam pertinere et characteri περὶ ὀλιγαρχίας quadammodo esse oppositum. Omnes enim notae φιλοπονήρυ eo redeunt, ut homo repraesentetur turbulentus, eorumque socius, qui libertatem et populi amorem iactantes nonnisi sua ipsorum commoda quaerebant. Quod enim Thucydides de funestissimi belli temporibus narrat, caecam ad quaevis audenda in civitate audaciam, virilis animi et socios amantis nomine esse obtentam, (III. 82. τόλμα μὲν γὰρ ἀλόγιστος ἀνδρία φιλέταιρος) tum quae addit de hominum seditiosorum sodalitiis (Ibid. καὶ μὴν καὶ τὸ ξυγγενὲς τῇ ἑταιρικῇ ἀλλοτριώτερον ἐγένετο. Coll. *Kortüm zur Geschichte hellenischer Staatsverfassungen.* p. 70. Not. 5). ea in Graecorum civitatibus illo bello exacto non continuo desiisse putanda sunt. Neque ullo tempore defuerunt, qui se acerrimos in defendendis populorum libertatibus custodes simularent, cum nonnisi suis ipsorum rebus prospicerent; quemadmodum hoc capite eiusmodi homo se κύνα δήμυ esse gloriatur. Iam cum apud Demosthenem contra Aristogitonem eiusdem commatis civis κύων τῇ δήμυ appellatur, Coraius et Astius continuo statuunt, auctorem huius quidem notationis

(nam a Theophrasto diversum putant) eum locum Demosthenis esse imitatum. Sed in omni fere antiquitate et de his populi defensoribus et omnino de qualibuscunque custodibus haec similitudo adeo frequentatur, ut et Demosthenes et Theophrastus nihil nisi communem loquendi usum sequantur, neque ullum imitandi studium intercedat. Quae res cum non sit a Theophrasti interpretibus ad h. l. observata, iam in fine huius lucubratiunculae extra cancellos, quos cum Aristotele Theophrastum comparaturi nobis posuimus, exspatiemur, et veterum scriptorum aliquot locos, qui huc faciunt, expromamus. Atque primum de ea parte similitudinis, qua populi defensores et oratores populares cum canibus conferuntur, insignis est apud Aristophanem locus Equitt. v. 1024 — 1033 et salsa ambiguitate, cum non minus impudentia quam vigilantia hac simulitudine significetur, inprimis facetus; quo quidem loco Cleon cum Populo colloquens, eidem sese a deo vaticinante servatorem his verbis demonstratum esse innuit:

σώζεσθάι σ' ἐκέλευς' ἱερὸν κύνα καρχαρόδοντα.

Et Populo deinde interrogante, quisnam hac canis appellatione significaretur, se ipsum prodidit v. 1031.

ἐγὼ γάρ εἰμ' ὁ κύων· πρὸ σᾶ γὰρ ἀπύω.

Eiusdem similitudinis lepos subest alii loco Aristophanico Vesp. v. 930 seqq. ubi coram Philocleone iudice, vesano ob litium amorem sene, bini canes producuntur causam orantes Xanthia servo interprete, ita quidem ut in his lusibus sub canum personis oratores et populi duces notentur, inprimis v. 950.

κάι τοι τις ὑμᾶς εὖ ποιεῖν δυνήσεται
ἢν μή τι κἀμόι τις προβάλλῃ τῷ κυνί;

Et v. 957.

μὴ νῦν ἀφῆτε γ'αὐτὸν, ὡς ὄντ' ἂν πολὺ
κυνῶν ἁπάντων ἄνδρα μονοφαγίστατον.

Locus etiam luculentior est apud Ciceronem Pro Rosc. Amer. cap. 20 et 32, unde satis apparet, quantopere Romae quoque oratores hac vigilum canum similitudine gauderent, a Cicerone tam facete in derediculum flexa. Cf. Verrin. I, 48, IV, 19. Heusinger. ad. Cic. Off. II, 14, 7. Neque vero solum vigiles et acres in accusando et dicendo oratores, sed omnino quoscunque custodes et fidos ministros antiquitas hoc nomine appellare non fastidiit, cum nos canis quidem figura fidum et constantem in amicis colendis animum significamus, amicos tamen ipsos, qui nos nostraque tuentur, hoc ipso canum nomine insignire vix audemus. Ita igitur hoc tralatitio genere loquendi utitur Aeschylus Agam. v. 604. Ed. Schütz, quo loco Clytemnestra, summi regis coniux, se canis nomine significat:

γυνᾶικα πίστην δ'ἔνδον εὑρήσει μολών,
οἵανπερ ἦν ἔλειπε· δωμάτων κύνα
ἐσθλὴν ἐκείνῳ, πολεμίαν τοῖς δύσφροσιν.

Et vers. 890 Agamemnone:

λέγοιμ' ἂν ἄνδρα τόνδε τῶν σταθμῶν κύνα.

Sic apud Sophoclem quoque (Electr. v. 1386) ex Hermanni quidem sententia Orestes et Pylades *πανεργημάτων ἄφυκτοι κύνες* appellantur. Quo de sermonis usu plura attulit Ruhnken. Epist. crit. p. 93. Traducta est haec similitudo canum ad deorum quoque ministros, ut ad Furias (Aeschyl. Agam. v. 136), ut ad Harpyas (V. Ruhnken. l. l. coll. Intt. ad Sophocl. Oed. T. v.

392). Eodemque pertinet, quod Pythagoras astra Proserpinae canes appellasse fertur (Porphyr. Vit. Pythag. p. 41. Ed. Kuster.), denique ille etiam Aegyptiorum capite canino conspicuus Anubis (Cf. Creuzer Mythol. T. I. p. 371).

DE STUDIO
GRAECARUM LATINARUMQUE LITERARUM
QUALE
PER SAECULUM DECIMUM QUINTUM ET DECIMUM SEXTUM
IN
ACADEMIA ALBERTO-LUDOVICIANA
VIGUIT.

ORATIO
QUAM
IN SEMINARII PHILOLOGICI INAUGURATIONE
DIE XXVIII. IUNII MDCCCXXX HABUIT
CAROLUS ZELL
PROF. PUBL. ORD. SEMINARII PHILOLOGICI DIRECTOR.

Antiquitas, Auditores honoratissimi, optimarum rerum inventrix, prudenti consilio et natura ipsa duce hanc consuetudinem introduxit et constanter fere servavit, ut siqua institutio vel ad usum salutaris vel praeclara ad decus facta esset, insignioribus quibusdam ritibus et solemnibus sacris initia eius celebraret. Iam quum his mensibus aestivis Academia nostra nova aliqua institutione, bonis artibus, ut spero, profutura sit aucta: sequamur et nos laudabilem illum morem et seminarii nostri philologici natales publica aliqua gratiarum, laetitiae et spei significatione ita insigniamus,

ut tempora proxime praeterita memoria repetamus, praesenti bono laetemur et futurae prosperitatis fructus iam nunc animo praecipiamus.

Quum igitur ante hos duos, et quod excurrit, annos primum in senatu academico haec res de seminario philologico ad exemplum aliarum academiarum apud nos instituendo moveretur, unanimi patres consensu hoc consilium approbabant. Nimirum intellexerant viri prudentissimi, haud exiguam utilitatem ex eiusmodi scholis redundare et ad plurimas reliquas disciplinas a studiosa nostra iuventute tractandas, et inprimis ad ludos literarios, omnis eruditionis solum quasi et fundamentum, quorum in usus praeceptores doctos et strenuos hac ratione formari posse videbant. Accessit Curatoris huius nostrae universitatis illustrissimi voluntas et insigne bonarum artium fovendarum studium. Quo factum est, ut summum principis nostri ministerium, cui earum rerum cura demandata est, huic consilio annueret, simulque accuratiorem totius instituti designationem sibi proponi iuberet. Non cessarunt quibus hoc negotium imponebatur et proxime praeterlapsa natalitiorum Ludovici, defuncti nunc principis augustissimi, solemnitate publico programmate nuntiari potuit, omnia quae ad hoc institutum pertinerent eiusdem principis et rectoris quondam nostri magnificentissimi auspicio iussuque firma esse et rata. Mox seminarii directori laborum socius addebatur, *Antonius Baumstarkius*, philosophiae doctor et gymnasii Friburgensis professor, vir eruditus, strenuus, et qui iam speciminibus a se editis [1])

---

[1]) Prolegomenorum in Orationem Demosthenis adversus

comprobavit, quam sana et severa ratione has literas tractare consueverit, collega mihi percarus et iam antea duplici quadam necessitudine mecum coniunctus, quum et discipulus meus in lyceo Rastadino per aliquod tempus fuisset et postea seminarii eiusdem philologici Heidelbergensis sodalis, cuius et ego me alumnum grato animo profiteor. — His omnibus provisis et lectionibus in seminario nostro habendis in communi lectionum indice rite promulgatis, is continuo exstitit iuvenum lectissimorum ardor, qui exspectationem nostram non aequaret modo sed adeo excederet; unde simul apparuit quantopere hoc institutum non solum ad decus studiorum nostrorum optabile, sed ad usum quoque esset necessarium. Iam enim ante ferias aestivas quadraginta fere literarum studiosi nomina ad hanc humanitatis militiam dederant, quibus postea plures alii accesserunt, ita ut nunc quidem plus sexaginta commilitones ex omnibus facultatibus et ordinarios et extraordinarios numeremus.

Quod igitur bonum felix faustumque sit, seminarium philologicum ad humanitatis studia promovenda in hac alma et perantiqua Musarum sede factum et constitutum esse publice renuntio. — Itaque prima iam seminarii iacta sunt semina, unde laeta aliquando seges deo iuvante efflorescat, utilitatem et decus allatura huic academiae nostrae, patriae, communi denique rei publicae literariae; itaque iam aperta est haec nova bonarum artium officina atque omnibus patet, quotcun-

---

Phormionem Caput prius. Heidelbergae 1826. 8. — De curatoribus Emporii et Nautodicis apud Athenienses Friburgi 1828. 8.

que humanitatis et antiquarum literarum studia sequuntur. Quos omnes quum humanissime invitamus iure aliquo nostro dicere nobis cum veteri illo philosopho licebit: Intrate; nam et heic dii sunt.

Sed quonam tandem modo, Auditores, hoc sacellum nostrarum templo Musarum quasi inaedificatum rite inaugurabimus? Nimirum inaugurando quoniam sacerdotes sacras cerimonias adhibent, milites decursionibus et armorum exercitationibus utuntur, nos pro instituti nostri ratione aliquid e literulis nostris promamus, quod et huic tempori sit accomodatum, neque egregii huius coetus iudicio et auribus plane indignum. Poteram disserere de literarum graecarum et latinarum praestantia, poteram de seminarii nostri ratione et instituto uberius explicare, sed quum haec studia commendatione vel omnino vel mea certe quidem non indigeant, atque de rebus ad seminarium pertinentibus quum nuper admodum programmate publice edito disputaverim, nunc quidem aliud argumentum orationis circumspiciendum erat. Quod dum facio non mihi alienum videbatur, veterem Academiae nostrae memoriam repetere atque colligere in unum, quidquid maiores nostri ad studia antiquarum literarum in hac Musarum sede conservanda et augenda olim instituerint. Habet enim, ut scitis, Auditores, haec vetustatis contemplatio magnam vim in utramque partem, ut aut aemulemur, si quid maiores nostri praeclarum et laudabile perfecerint, aut emendemus, si quid minus recte ab iisdem factum esse viderimus. Quapropter spem aliquam si non assensus tamen patientiae vestrae concipere fortasse mihi licebit, si brevem narrationem recitavero de universa studii

philologici graecarum et latinarum literarum ratione, qualis in hac nostra Universitate Friburgensi per decimum quintum et decimum sextum saeculum viguit. Quod in his duorum saeculorum finibus me contineo, hoc ideo potissimum faciendum mihi putavi: primum ob temporis angustiam, quum ultra unius horulae spatium dicere mihi religio sit; deinde quia studiorum ratio primis illis temporibus instituta diutissime valuit; postremum haec priora saecula plurimos viros tulere, qui apud nos his literis inclaruerunt. Usus autem sum ad has res, quae huc pertinent, eruendas certissima fide veterum statutorum et actorum cum universitatis tum philosophici ordinis, quae non sine aliquo labore evolvi, sed adiutus aliquot locis lectu difficillimis humanitate Doctoris Henrici Schreiber, Prorectoris nostri magnifici, locupletissimi patriarum rerum auctoris, qui quidem et libros aliquot huc spectantes humanissime mecum communicavit [1]).

Studia graecarum et latinarum literarum orbi studiorum ordinis philosophorum, ut constat, includebantur,

[1]) Placuit hanc ob causam potissimum hoc orationis argumentum, ut aliquid ad res universitatis nostrae cognoscendas pro virili parte conferrem. Nam etsi inde a Ios. Ant. Rieggeri aetate, qui mirans dolet „stetisse tanto tempore academiam nostram et nihil tamen fere de ea fuisse literis cosignatum“ professorum nonnullorum nostratium laboribus academiae nostrae memoria renovata est, multa tamen etiam nunc cognoscenda et narranda restant ut plena aliquando eiusdem historia contexi possit, qua quo dignior est haec bonarum artium officina, eo aegrius caremus. Aliud incommodum est, quod vel ea, quae

qui septem artibus liberalibus, quae vocabantur, operam dabat, id est, grammaticae, rhetoricae, dialecticae, quae trivium constituebant, una cum arithmetica, geo-

---

de hac re adhuc scripta et edita sunt, non satis innotuerunt. Ita in Lawaezii libro, qui inscribitur: *Handbuch für Bücherfreunde*, Vol. I. P. 2. ubi libri ad universitatum historiam pertinentes recensentur, Friburgensis nulla mentio fit, neque magis in Parte huius operis suppletoria altera, etsi hoc tempore (1791) Rieggeri lucubrationes iam prodierant. Quapropter operae pretium facturus videor, si recensum librorum ordine chronologico hic addidero, quibus academiae nostrae historia illustratur, qui quidem recensus etiam pro supplemento *Bibliothecae historicae academicae* esse potest ab *Heumanno* conditae ad calcem *Antiquitatum academicarum Conringii:* Ios. Ant. Rieggeri Opuscula ad Historiam et Iurisprudentiam pertinentia. Friburgi Brisgoviae 1773. 8. (cui libro inest p. 379 seqq. De origine et institutione Academiae Albertinae Prolusio academica.) — Eiusdem Analecta Academiae Friburgensis. Ulmae 1774. 8. — Eiusdem Amoenitates Literariae Friburgenses Fascicul. I. Ulmae 1775. Fasc. II. Ibid. 1776. — Eiusdem Epistolae Udalrici Zasii Ulmae 1774. — Kluepfelii Vita Ioannis Kereri Episcopi Adramitani fundatoris collegii sapientiae Friburgi; in *Eiusdem:* Vetere Bibliotheca ecclesiastica. Vol. I. P. 1. Friburgi 1780. 8. — *Eiusdem* Necrologium Sodalium et amicorum literariorum. Friburgi 1809. 8. — (Alexandri Ecker Prof. Friburgens.) Grundlinien zur Geschichte der Albertinischen hohen Schule zu Freiburg im Breisgau. Freiburg 1806. 4. — Ios. Ihn. Albrecht, Prof. Friburgens. De singularibus Academiae Albertinae in alias quam plurimas meritis. Friburgi 1808. 4. — Mertens De vita Pauermeisteri, IC. Friburgensis. Friburg. 1810. (Programm. academ.) — Karl von Rotteck. Für die Erhaltung der Universität Freiburg 1817. 8. — Heinr. Schreiber. Beschreibung von Freiburg. Freiburg 1826. S. 100 ff. — Eiusdem die Stifter des Hauses zum Frieden: Kasean, Wertwein, Lorichius u. s. w. Freiburg 1830. 4. — His accedunt laudationes funebres Professorum nostrorum in honorem a collegis solitae, quas habue-

metria, musica et astronomia, quod quadrivium appellabatur. Quapropter pauca quaedam de facultatis philosophicae institutis et ratione, qualis prioribus his saeculis viguit, praemonere haud erit alienum. Constituebat igitur haec facultas, etsi non minus quam reliquae facultates cum universitate communi coniuncta eiusdemque rectori cum consilio academico secundum communes universitatis leges obtemperans, unum tamen et secretum discentium et docentium corpus, cui decanus cum consiliariis, utrique a professoribus electi praeessent; atque ut tota universitas ita et ipsa facultas multo maiorem olim quam hac nostra aetate suam quandam exercuit αὐτονομίαν. Nam facultas ipsa et doctores suos ascivit et nonnullos, ut Grammaticum et Ethicum, suo peculio aluit, et multis in rebus in cives suos puniendi potestatem habuit. Discentium autem duplex erat genus: scholarium et baccalaureorum, totidemque studiorum quasi cursus, quorum uterque unum annum cum dimidio durabat, ita ut integer horum studiorum orbis tribus annis absolveretur. Prima literarum elementa discebantur in ludo literario huius urbis, quae schola particularis vocabatur, secundo in paedagogio, postremo privatorum praeceptorum opera. Scholares matriculae universitatis quidem inscribebantur, facul-

---

runt Rotteck, Hug, Ecker, Schneller, Buchegger, Beck de vitis professorum Iacobi et Mertens, Kluepfel, Schinzinger, Waencker, Ittner, Rinderle, Nick, Ecker. Postremum addenda sunt scripta ad historiam singulorum quorumdam institutorum academiae nostrae pertinentia ut Roddekeri. De museo anatomico, Friburg. 1776. ut Perlebii De horto botanico Friburgensi. (Program. acad. Friburg. 1828.)

tatis non item, et certum quendam praelectionum numerum lege praescriptum frequentare obligabantur. Praeterea quibus non in urbe esset domicilium, omnes in bursis sive communibus habitationibus sub conventore sive rectore bursae degere oportuit. Hoc primum stadium emensi scholares et examine legitimo superato baccalaurei fieri solebant et facultatis matriculae inscribebantur, ut inde demum sodales sive membra facultatis haberi viderentur. Etiam baccalaureis suus praelectionum ordo et numerus ad audiendum constitutus erat, quo absoluto qui magisterii honores affectabant iterum examen subibant, eoque rite superato magistri creabantur. E quorum numero qui ad docendi munus accedere vellent, si a facultate hoc peterent, facillimo negotio impetrabant, ut regentibus sive regentiae id est docentibus magistris adscriberentur. Ita factum est, ut his prioribus saeculis maximus esset docentium in facultate nostra philosophica numerus et multis partibus maior, quam quem nunc habere solemus. Fuerunt plerumque ad viginti, ad triginta doctores, qui in hac facultate profitebantur. Neque vero primitus ut nunc est, sua cuique et certa professori sparta in muneris adeundi initiis tribuebatur, quam constanter et solam tueretur; sed multo alia ratio obtinuit. Semel enim quoque anno et quidem in festo St. Aegidii, quod mense Septembri celebratur, omnes regentiae magistri congregabantur et in hunc ipsum annum neque in longius temporis spatium praelectiones lege praescriptas atque a scholaribus et baccalaureis necessario frequentandas inter se conventione quadam distribuebant, ita quidem ut secundum aetatis gradus senioribus ante iuniores

eligendi quas vellent praelectiones potestas daretur. Quae praelectiones sive collegia cum omnes certis quibusdam libris explicandis continerentur et fere unius Aristotelis, *libri ordinarii* appellabantur; ita ut singuli magistri suos per annum libros ordinarios haberent. Appellabantur eaedem praelectiones etiam lectiones formales et totus earum orbis auditoribus ad frequentandum praescriptus, lepido sane vocabulo, *angaria* (*Frohnde*). Atque hanc quidem annuam lectionum distributionem perdurasse invenio in Actis facult. phil. usque ad annum 1510, quo triginta magistri inter se de hac re convenere. Postea ad plures annos vel etiam ad vitae tempus lecturae sive munera professoria demandabantur.

Iam propius ad propositum nostrum accedamus et videamus quonam loco tunc temporis apud nos latinae et graecae literae haberentur, quave ratione tractari solerent.

Erat autem omnino his saeculis in universitatibus literariis ea studiorum ratio, ut omnia studiorum genera doctae antiquitatis cognitione multo magis indigere viderentur quam hodie. Primum enim cunctae disciplinae non patrio sed latino sermone tradebantur; deinde tota fere liberalium artium summa e veterum scriptis atque adeo ex uno Aristotele petebatur; postremum de tribus reliquis facultatibus duarum institutio fere tota nonnisi veterum libris interpretandis continebatur, iureconsultorum dico et medicorum, alterius quidem facultatis in legendo et enodando textu corporis iuris, alterius in explicandis Hippocratis et Galeni operibus occupatae. Neque vero, etiamsi ea esset studiorum ratio, haec prior aetas germanum graecae et latinae

antiquitatis sensum et salutarem doctrinam, in universitatibus aut ubique reperuit aut repertam constanter tenuit. Sed utut hoc sit, magna fuit eo tempore necessitudo inter universas omnino disciplinas et hoc antiquarum literarum inprimis latinarum studium, atque promta quaedam facultas latini sermonis omnibus literarum studiosis, etiam magis quam hodieque, necessaria habebatur. Praeter hoc commune tamen literarum graecarum latinarumque praesidium, quod omnino in tota omnium disciplinarum qualis tunc erat tractatione contineretur, peculiaria et propria fuerunt in artium facultate huius studii promovendi instituta et adiumenta, et quidem primo lectiones publicae in facultate, deinde institutiones quaedam in bursis, tertio paedagogium, quarto privatorum praeceptorum usus, postremo certa quaedam alia adminicula; de quibus singulis iam deinceps totidem capitibus tractaturi sumus, atque primum de lectionibus sive praelectionibus publicis.

Inter lectiones publicas ab omnibus facultatis philosophicae auditoribus frequentandas, antiquissima eiusdem statuta nullam exhibent, quae ad graecarum latinarumve literarum studium pertineret, sed omnes fere lectiones in Aristotelica, qualis tunc habebatur, philosophia explicanda occupantur. In annuis tamen, quas supra significavi, praelectionum distributionibus, iam inde a primis temporibus commemoratur *institutio grammaticae et graecae et latinae.* De qua re ne dubitatio moveri possit primum eiusmodi distributionum exemplum anni 1461 facultatis nostrae ex actis addam [1]).

---

[1]) In die Egidii conclusum fuit . . . et ob paucitatem ma-

Inde apparet grammaticam latinam et graecam inter statas et solennes lectiones habitas esse. Ad latinam quidem grammaticam docendam Donato utebantur; graecae grammaticae auctor nominatim non appellatur, generaliori vocabulo *graecistae* significatus; sed ex indiciis quibusdam colligo intelligendam esse grammaticam Chrysolorae Graeci. Iam hoc ipsum aliquid difficultatis habet ad explicandum, cur haec graeci et latini sermonis institutio inter lectiones publicas in actis quidem

---

gistrorum facta fuit colligantia librorum, ut unusquisque eorum a seniori usque ad iuniorem procedendo librum non per precedentem receptum pro suo ordinario eligere posset praestita tamen prius fide loco iuramenti quem tandem ipse vellet legere .... quod et tertia die Septembris factum fuit, et magistri subscripti hos recepere libros: Magister Kilianus Wolff de Haslach recepit libros topicorum, quibus anexus fuit primus liber metaphisicae et sequentes usque ad octavum exclusive; Magister Iohannes Sculnhofer de Nabpurg libros posteriorum analyticorum, quibus annexi erant 4tus, 5tus, 6tus ethicorum; Magister Conradus Arnolt de Schorndorf elenchorum una cum octavo metaphysicae et sequentibus; Magister Iohannes Kerer de Werthem primos quatuor libros phisicorum, cui residui quatuor fuerunt colligati; Magister Henricus de Stetten secundam partem doctrinalis una cum libris de celo et mundo; Magister Wilhelmus Institor de Ehingen parva logicalia atque libros metheorum; Magister Conradus Stiezel de Kizing secundam partem grecistae ac latitudines et musicam; Magister Iohannes Kugler de Horw primam partem alexandri una cum perspectiva, obligatoriis et insolubilibus; Magister Iohannes Knapp de Rutlingen ambas partes naturalium et libros de generatione et corruptione; Magister Rudolfus Rasser de Capellen tertiam partem alexandri et rhetoricam atque primum euclidis; Magister Nicolaus Waetherus de Munsingen summulas petri ac libros de anima; Mag. Adam Rieder de Gmund Donatum una cum theoricis planetarum et algorismo. Acta facultatis artisticae P. I. fol. 3.

facultatis appareat, in statutis eiusdem non appareat. Puto hoc ideo fieri, quia hae lectiones ad primam puerilis aetatis institutionem pertinebant in paedagogio tradendam, quod tamen paedagogium et ipsum ut ad novissima usque tempora pars erat universitatis atque adeo facultatis philosophicae, ita magistros semper habuit ab universitate vel facultate sibi datos. Quam diu autem haec annua inter magistros distributio duravit, perpetuo fere grammaticae latinae mentionem fieri video, paucis annis exceptis, fortasse ob idoneorum magistrorum penuriam (ut 1468. 1469); graecistae mentio saepius desideratur [1]. Sed quaecunque huius defectus causa sit, hoc certum est, inde ab his primis temporibus semper duos universitati professores adscriptos esse ad tradendam linguae latinae et graecae grammaticam, quorum prior Grammaticus appellabatur, alter linguae graecae Professor. Grammaticus e peculio facultatis philosophicae stipendium annuum cepit; Professor linguae graecae ex universitatis aerario. Stipendium annuum Grammatici usque ad annum 1558 quindecim florenorum erat, hoc ipso tamen anno decem additis, ut iam ad viginti quinque florenos excresceret [2]. Postea (1563. 17. Decembr. Act. fac.) grammaticus 30 f. stipendium nanciscebatur, mox 8 f. ad-

---

[1]) Ut anno 1464. 1466—1469.

[2]) Acta facultat. artisticae P. II. fol. 229 ad ann. 1558. 10. Iunii. „In hoc conventu congregatis dominis de facultate habita est deliberatio super auctione stipendiorum grammatici et ethici, et a commissariis Caesareae maiestatis facultati imposita, nempe ut grammatico addantur 10 fl. et ethico totidem ita ut hic posthac habeat 40 fl. et ille 25 fl.“

ditis, 38 f. ut (quae verba sunt facultatis) liberaliori auctione ad 30 florenos, quos antea annuatim habebat satis exiguum stipendium pro tot ac tantis laboribus ad maiorem diligentiam excitaretur.

De ratione autem qualis tunc fuerit docendi has literas si hoc loco exponere vacaret, res esset ex universa disciplinarum ratione eius temporis illustranda. Quod cum iusto diutius nos moraretur, hoc tantum quod omnino de docendi in lectionibus ratione ab antiquis nostrae facultatis statutis praecipitur, nunc quidem proferre placet (Fol. IX.): „Amplius placuit facultati ut talis servetur legendi forma, ut videlicet primum magister cum diligentia morose textum legat, quatenus scolares omnes textus suos quos habere debent, corrigere possint et punctare. Deinde textum dividendo et artificialiter continuando, sententiam per modum conclusionis expromat; nihil ad pennas dando, exceptis divisionibus, continuationibus et sententiis textus.“ — Fuerunt autem inter Grammaticos, qui saeculo XVI. apud nos profitebantur, plures qui scriptis inclaruerunt, quorum principes infra nunc commemorabo. Iis igitur adnumerandi sunt: Caspar Stueblinus, qui omnium primus integrum Euripidem latine vertit, Conradus Dinnerus, qui una cum Stueblino Wirceburgum vocatus inter primos huius academiae statores censendus est, Christophorus Caseanus theologus celeberrimus, Thomas Freigius, Friburgensis, Freigii Iureconsulti Friburgensis filius, vir singularis ingenii, qui cum in eo esset ut vitae professoriae pertaesus rusticus fieret, Altorfium evocatus Altorfinae Academiae rector evasit [1]).

[1]) De *Stublino* cf. Albrecht De academiae Albertinae meritis.

Facultas philosophica ut hos grammatices latinae professores assumsit, ita de eorundem docendi ratione et moribus studiose vigilavit. Cuius rei multa occurrunt in actis nostris specimina; unum tantummodo de multis adhibebo. Ibi igitur, in actis anni 1569. 3. Ianuar. haec leguntur: „M. Georgius Kleinert grammatices Professor admonitus est, siquidem auditores eius gravarentur, quod eos aliquantulum durius verbis tractet, quam decet, ut in posterum placidioribus, ac humanioribus verbis, postulante necessitate, eos alloqueretur, ita ut eum non ut praeceptorem sed ut patrem dilectione amplectantur."

De grammatico latino hactenus. Linguae autem graecae professio nonnunquam professione grammatici latini cumulabatur, ut ab uno magistro utraque administraretur, quod factum est, e. c. a Thoma Freigio, a Wurero, aliis [1]). Inter eos vero quotquot apud nos per saeculum XV. et XVI. graecam linguam profitebantur, inprimis inclaruit Ioannes Hartungus, cuius sepulcrum universitatis in templo huius urbis augustissimo sacellum hodieque servat, vir graece doctissimus et qui plura eruditionis suae monumenta posteritati reliquit, hoc etiam nomine notabilis, quod Musarum militiam cum militia Martis coniunxit, quippe qui in bello

---

p. 32. — De *Dinnero* Ibid. p. 35. 41. — De *Caseano* V. Schreiber, Stifter des Hauses zum Frieden. — De Thoma *Freigio* V. Saxii Onomasticum literar. Tom. III. p. 409 et qui ibidem laudantur.

[1]) V. Acta Universit. 1566. 14. Novembr. — Ibid. 1568. Die St. Hilarii.

contra Turcas aliquando stipendia mereret. Tradebat autem HARTUNGUS in hac graecarum literarum professione elementa grammatices et aliis praelectionibus explicabat auctores Graecos ut Homerum, ut Apollonium Rhodium, alios [1]). — Omnino tamen usque ad medium fere saeculum XVI. graecae literae apud nos paulum iacuisse videntur, donec ab HARTUNGO, GLAREANO, aliis viris similibus et nova praesertim paedagogii instauratione excitarentur, qua de re infra accuratius narrabimus. Quanquam facultas philosophica iterata vice graeci sermonis studium impense commendavit, cuius laudis memoria ne obliteretur, ex eiusdem actis, aliqua quae huc spectant, vobiscum, Auditores, communicabo. Ibi igitur haec habentur, anni 1548. 13. Iunii. „Eodem consessu conclusum est ut in praelectione statutorum complentes (i. e. studiosi) nostri ad linguarum praelectionem audiendam adhortarentur, magistrandi quidem ad hebraeam, baccalaureandi autem simulque magistrandi ad graecam; si praelegantur rudimenta grammatices, quod facultas ex promissione M. IOANNIS HARTUNGI futurum sperat.“ Eiusdem anni 1548. 7. Decembr. „Commisit facultas decano ut praelectione statutorum singulariter adhortetur omnes complentes ad audiendam linguam graecam quisquis pro suo captu. Omnes quidem grammaticalia elementa, qui autem in

---

[1]) De Hartungo cf. quos laudat Saxius in Onomastico T. III. p. 256. Add. Adami Vitae philosophor. p. 301. — In actis facult. philosophicae frequens est Hartungi mentio, praesertim cum institutis et decretis facultatis haud semel repugnaret cf. inprimis Acta fac. artisticae ad ann. 1548. 12. Octobr. Vol. II. fol. 115. Ibid. 7. Decembr. fol. 117. 1549. 30. Aug. fol. 125.

ipsis aliquantulum instructi sint, autorem etiam aliquem a professore ordinario audiant." Anni 1565. 25. Maii. „Cognovimus in primis longo iam usu et multiplici experientia, quod in addiscendis liberalibus artibus et intelligendis philosophorum et poetarum scriptis, iuventus rudior adhuc maximopere praepediatur parumque utilem navet operam eo, quod graecae linguae cognitione careat. Nam cum multi hodie ad academias confluant, qui rudimenta eius linguae ignorant, atque ob id ad superiorem illam in graecis auctoribus praelectionem haud sint idonei, operae pretium nobis videtur, ut praeter ordinariam in graecis lectionem constituatur alius qui elementa saltem graecae linguae demonstret iuventuti et praecepta grammaticae, adiunctis Luciani dialogis, doceat, utque sic initiis auditores imbueret, ut alteram illam maximo cum fructu audire possint lectionem. Et ad hanc elementorum graecae linguae praelectionem omnes qui ad primum in artibus gradum aspirant toto completionis tempore audiendam compellendos ac tempore promotionis examinandos censent, sicut ad alteram illam baccalaurei et qui ad magisterii insignia contendunt, adstringendi sunt." Hactenus philosophicae facultatis decretum. — Sed laudabili huic facultatis studio hoc inprimis obfuit, et damnum attulit utriusque linguae institutioni, quod magistri qui easdem docebant, nunquam fere diutius in statione sua permanebant. Nam singulis fere annis novi grammaticae professores apparent, cum plerumque post breve tempus ad alia munera fructuosiora ad lucrum faciendum transirent. Cuius rei exemplum sit, quod inde ab anno 1552 usque ad annum 1562, decem annorum spatio,

septem professores grammaticae hanc professionem occuparunt et reliquerunt [1]).

Praeter has binas professiones latinae et graecae linguae, de quibus adhuc disputatum est, etiam alia professio publica habebatur, quae ut in reliquis universitatibus ita in nostra, explicandis antiquarum literarum monumentis inprimis inserviret. Erat haec professio poetices et rhetorices, unde hodieque in nonnulis academiis usu venire solet, ut is qui philologicas disciplinas docet, professor eloquentiae appelletur. Professoris enim poëseos sive poëtae erat, praecepta carminum latinorum pangendorum et artem oratoriam tradere, simulque interpretari auctores classicos. Hanc professionem primum commemorari in Actis Consistorii academici video anno 1472, quo anno poetae mentio fit, nomine non addito, cuius stipendium non universitas sed civitas Friburgensis solvit [2]), quod tunc fuit 24 florenorum annuatim, neque sequenti saeculo 60 florenos excedere solebat. Eorum qui hanc professionem sus-

---

[1]) Haec sunt eorum nomina: Ioannes Atrocianus Acta facult. artist. 1550. 25. Iul. fol. 128. Vol. II. — Caspar Stublinus 1551. fol. 143. — Christophorus Caseanus 1555. fol. 168. — Martinus Summereysen 1555. 10. Octbr. fol. 192. — Conradus Dinner 1560. 4. Mart. fol. 244. — Mag. Christophorus Laurentius Brisacensis. 1562. sub vigilia omnium SS. fol. 282. — Caspar Caseanus 1562. 8. Novembr. fol. 282.

[2]) Acta univers. ann. 1471 (qui numerus etiam in textus parte ad quam haec nota pertinet, reponendus est) die 5. Novembr. „De poeta assumendo fuit conclusum, quod audiretur quantum stipendium postularet; qui respondit, se velle quotidie semel legere diebus privatis et capere 24 florenos renenses. Circa quod placuit universitati quod hoc iterum ad cives referretur.“

ceperunt, in Actis universitatis nostrae nominatim primus fere memoratur M. Gabriel quidam, per aliquod tempus simul Institutionum Iustiniani et Poeseos professor, quae quidem duae professiones vix satis commode coniungi posse videantur, cum nec iureconsulti plerumque boni poetae nec poetae boni iureconsulti haberi soleant. Neque tamen hoc unum fuit in hoc genere exemplum. Nam Udalricus ille Zasius, summus iureconsultus, quo academia nostra iure hodieque gloriatur, erat et ipse per aliquod tempus poeseos apud nos professor [1]. Quem excepit Locherus, qui sibi nomen Philomusi Suevi ascivit, vir elegantis doctrinae sed fervidioris, ut poetarum solet esse, ingenii, qui diuturnam et calidam exercuit cum Zasio simultatem [2]. Inter omnes tamen, quotquot hac professione fungebantur inprimis ea aetate excelluit Loritus, Glarei oppido Helvetiae oriundus, unde nomen Glareani adscivit, siquis alius inter lumina academiae nostrae censendus, vir praeclari ingenii, et multifariae accuratae-que eruditionis, quam scriptis plurimis comprobavit mathematicis, geographicis, oratoriis, musicis, philosophis, historicis et philologicis, sua aetate celeberrimus et hodieque non vulgari laude conspicuus. Eandem ob causam, qua quondam Hartungus Heidelberga, Glareanus Basilea ad nos commigravit: uterque enim antiquarum religionum amans reformatorum studia et instituta aversatus est, quae tunc temporis Heidelbergae

---

[1]) Cf. Vita Zasii a Rieggero conscripta in Zasii Epistolarum collectione ab eodem edita p. 18.

[2]) Cf. Ibid. p. 27.

et Basileae regnare coeperant. Per multos annos apud nos summa cum laude, et magna auditorum frequentia stipatus docuit; eiusque in eodem sacello, quo HARTUNGI ossa composita sunt [1]. Inter GLAREANI in hac professione successores, praeter alios BEURERUS sive BUERERUS commemoratione dignus est, qui admodum iuvenis hanc provinciam suscepit, sed qui vel hac aetate patribus academicis doctrinam suam comprobaret. Nam cum aliquando (anno 1577) in visitatione universitatis, quales tunc temporis a regimine austriaco haberi solebant, consistorium academicum iussum esset, ut professores aliquos celebres vocaret ad auditorum frequentiam tunc quidem admodum exiguam augendam, patres academici responderunt [2]: *Dasz dann die fürstliche Durchlaucht gnädigst dafür halten, dasz sich noch kheiner viele und* frequentiae studiosorum *zu versehen, es werde dann Einer oder mehr berümpte professores, bevorab* in iure *und* Philosophia *und* Literis humanioribus *bestelt und erhalten .... So ist der, so* Lectionem poeseos *ietzo versichet und gleichwohl noch etwas iung, dermassen qualificirt und in den* disciplinis humanioribus *also erfahren und gelernt, dasz er seine Lectur und Profession nit ohne sonderliches Lob und*

---

[1]) De Glareano V. quos laudat Saxius in Onomast. liter. Vol. III. p. 44 et Analect eiusdem Volum. p. 585. Dignus sane vir, vel ob eius erga academiam merita, cuius vita et studia peculiari commentario describantur.

[2]) Verba desumta sunt ex *Responso* universitatis de novis assumendis professoribus et ad articulos resolutionis serenissimi Principis post relationem visitationis anno 1575. d. d. 21. Novembr. 1577.

grossen Nutz der auditorum *und jungen* Studiosen *auswartet und ihm der Allmächtige sein Leben erstreckt, er werde ein berümbter, treffentlicher Poet werden und der allhieigen Universitaet nit wenig rhümlich seyn und einen ruoff bringen.*" Idem ille Beurerus a Rudolpho imperatore historiographi caesarei honore auctus est, postquam diu hanc poeseos et graecae linguae professionem strenue gessit. Nomen eius haud semel in Universitatis et facultatis Actis occurrit et fere nunquam sine honorifica mentione. Ibidemque etiam reperio, ab eo Iuvenalis Satyras, Virgilium, Curtium Rufum in lectionibus esse explicatos; quod qui loci actorum commemorant, iidem ostendunt tunc temporis professores nonnisi permissione et auctoritate consistorii neque suo ipsorum arbitrio auctores interpretandos eligere potuisse [1]).

Atque de publici lectionibus professorum utriusque grammaticae et poeseos, in quibus graecae et latinae literae tractabantur, haec quidem hactenus. Praeter has autem publicas lectiones, ut supra iam significavi, magna studiorum pars in bursis sive studentium contuberniis publice constitutis, includebatur, quo de instituto nunc, si placet, videamus.

Singulis igitur publicis in facultate artium lectionibus lectiones sive exercitia addita erant in bursis, in quibus exercendo, repetendo sive, ut tunc loquebantur, resumendo institutio per publicas lectiones tradita vel firmamentum vel complementum suum nanciscebatur.

---

[1]) Acta univers. ann. 1582. die S. Galli. p. 326. Ibid. ann. 1585. die 26. April.

In antiquioribus facultatis statutis haec exercitia in bursis habita accurate, paucis exceptis, lectionibus publicis respondent. Sed praeter haec exercitia cum publicis lectionibus coniuncta, ibidem iniungitur scholaribus in bursis degentibus, ut per integrum studiorum cursum repetitiones sive resumtiones gramaticales a magistro aliquo, quem rector bursae designet, instituendas audiant; cuius institutionis didactrum unusquisque scholarium quinque solidos denariorum solvere iubetur [1]. Praeterea lege praescriptum erat, ut omnes qui in bursis habitarent, ibi quidem in omni vitae commercio nonnisi latino sermone uterentur [2]. Cum vero temporis progressu lectiones publicae aliquantum immutarentur, neque amplius in unius fere Aristotelis libris praelegendis haererent, etiam bursarum exercitia hanc immutationem sequebantur; et accesserunt aliqua quae ad graecas et latinas literas augendas pertinerent. Apparet hoc ex recentioribus facultatis nostrae statutis, quae etsi in tegmine quo includuntur, annum 1606 prae se ferunt, tamen aperto leges continent iam saeculo XVI. exeunte vigentes. Ibi igitur facultatis philosophicae auditores, qui quidem ad baccalaureatus et magisterii honores aspirarent, has lectiones publicas et bur-

---

[1]) Antiqua Statuta facultatis artium MS. fol. 10. p. 2.

[2]) Recentiora Statuta facult. artium MS. saeculo decimo sexto assignanda fol. 9. p. 2. „Item statuit facultus, ut in contuberniis nostri subditi sive incolae sint, sive extranei assidue loquantur latine sub poena arbitraria per praefectum instituenda. Quod statutum siquis recusaverit ac tam laudabili in statuto refragatus fuerit, a lectionibus contubernalibus expers et alienus reddatur tanquam studiosorum turbator et seductor.“

sarum exercitia frequentare iubentur (fol. XII. et XIII.) ad studia literarum graecarum et latinarum spectantia: graecae grammaticae elementa; Ciceronis rhetoricam ad Herennium, ad artem oratoriam addiscendam; Ciceronis libros de Officiis, ad philosophiae moralis institutionem; postremum in bursis exercitium grammaticum latini sermonis, quod accuratius his verbis definitur: „Tertium exercitium erit grammaticum, quod ita instituendum esse censet facultas, ut aliquis autor qui familiaribus colloquiis possit conferre, quemadmodum est Terentius, Sallustius, Virgilius et alii, prout industria et captus auditorum exigit, praelegatur. Ita autem erit praelegendus, ut inprimis fiat familiaris atque ad linguam maternam usque interpretatio, cum qua etiam volumus quantum fieri potest schemata sive figurae, item vocabulorum propria significatio et elegans usurpatio explicetur. Quae singula fideliter sequenti die sunt ab auditoribus repetenda, ita tamen ut syntaxis et etymologia ad structum verborum et orationis partes accomodetur. Et huic lectioni deputavit facultas horam primam post meridiem."

Omnia, quae adhuc de graeci et latini sermonis studiis enarravi per lectiones publicas et bursarum exercitia olim apud nos tractatis, haec de eo potissimum tempore intelligenda sunt, quae annum 1572 antecedunt, quo quidem anno in disciplina graecarum et latinarum literarum tradenda haud parva et admodum salutaris immutatio facta est. Iam enim, Auditores, ex hac quamvis manca institutionis priorum saeculorum delineatione a me proposita, ipsi intellexeritis, qua parte laboraret. Nimirum ut alia taceam, quae in

literariis eorum temporum studiis merito reprehendas, hoc continuo apparet, puerilis aetatis ad graviora studia praeparandae institutionem, quae hodie in gymnasiis nostris tradi solet, tunc temporis admodum exilem et fere nullam fuisse. Vix enim primis latinae grammaticae rudimentis utcunque positis, sine ulla aliarum rerum quae ad literas pertinent tractatione et usu pueri vel adolescentuli tricis philosophiae implicabantur, ab Aristotele quidem nominari solitae sed quae nimium quantum ab huius viri unius omnium prudentissimi et sapientissimi sensu et doctrina abhorreret, ita ut ingenio nondum subacto neque animo satis praeparato gravissimarum disciplinarum et artium sacraria illotis quasi manibus attrectarent. Quae quidem labes et olim universitatibus damnum attulit neque hodieque plane sublata est. Est enim profecto, Auditores, est philosophia omnium disciplinarum lumen, quod qui tollit is oculum mihi e toto quasi doctrinae corpore evellere videtur. Sed eam philosophiam dico, quae non unius aut binorum annorum sed vix totius vitae studiis absolvitur, quae non ieiunis formulis et superciliosis dictatis continetur, sed multiplici rerum doctrina, sed acerrima integerrimaque veritatis investigatione, sed vitae denique quodam usu. Quae omnia quum puerilis aetas habere non possit, quid iuvat eam circa omnes philosophiae partes trepidare, quas aut omnino non intelligat, aut frigidas et inanes formulas decantando intelligere se falso putet. Sed redeamus in viam. — Maiores igitur nostros hoc incommodum non fefellit et facultas philosophica quae totam hanc puerilis aetatis institutionem literariam tunc temporis complectebatur,

quae apud nos gymnasiis nunc demandata est, reformandae eius consilium cepit; et ut paedagogium erudiendae iuventuti destinatum conderetur effecit. Video quidem in actis senatus academici iam anno 1489 paedagogium commemorari a duobus magistris regendum, et diversum, ut mihi quidem videtur, a schola huius urbis particulari iam ante hoc tempus vigente, in qua et ipsa prima latinae linguae rudimenta docebantur. Deinde etiam in iisdem consistorii actis anno 1547 paedagogii mentio iniicitur [1]). Sed utut hoc sit, antiquius illud paedagogium aut plane interierat aut ita de statu suo deiectum iacuit, ut anno supra laudato (1572) plane novum paedagogium condendum esset. Primum haec res moveri coepta est anno 1556. 14. Iul. quo die haec in actis nostris consignata invenio: „Intellexerat facultas iuventutem turpiter negligi propter principia linguae latinae male imbibita. Quo circa Grammaticae professorem *Martinum Summereysen* coram constitutum hortatur ac monet, ut non solum diligentiam adhibeat in praelectionibus suis, sed etiam repetendo ac materiam scribendarum epistolarum exhibendo in iuventutem animadvertat. Placebat etiam nonnullis Dominis, uti classes ordinarentur et ex consiliariis facultatis duo visitatores bis observarent singulis septimanis, fierentne singula ordine vel secus. Sed quoniam id maioris operae videbatur, quam quod unico consessu expediri posset, suspensum est in aliud tempus.“ Inde ex hoc tempore plures per annos tota haec res in oblivionem abiisse videtur, donec denuo resumta sit anno 1572,

---

[1]) Protocolla Senatus academici. P. VI. p. 1355.

cuius anni die 16. Februarii Acta facultatis haec de ea re continent. „Rursus coeptum est deliberari de paedagogio instituendo. Et post seriam et longam deliberationem tandem conclusum est, ut duas horas praelegant in loco paedagagio deputato (nempe τ et ζ). Magistri ad hoc negotium deputati fuerunt M. *Blasius Hund*, M. *Io. Puckel et* M. *Iacobus Beurer*. Salarium sit eorum a quolibet qui eos horis publicis audiunt annuatim 4 florenorum. Magister deligentès qui habet discipulos, eorum discipuli nisi Magistro ipsi visum fuerit ne cogantur ad hoc paedagogium, modo ipsi a facultate concessum sit habere discipulos privatos." Eiusdem anni die 3. Iunii haec adduntur: „In eodem concessu offert facultati M. *Io. Iac. Beurer* scriptum quoddam continens modum seu formam inchoandi in novo collegio paedagogium, quod ab eadem paucis additis et mutatis approbatur, iniungiturque Decano ut a dominis superioribus (i. e. senatu academico) humiliter petat, quatenus in hac re suam interponant authoritatem nec non publico mandato compellant omnes ac singulos studiosos in nostrum archigymnasium pulcherrimum artium percipiendarum gratia convolantes uti sese paedagogio et iudicio magistrorum subiiciant, ut egregia illorum explorata doctrina ad publicas lectiones promoveantur. Rogat insuper facultas ut magnificus dominus rector nullum inscribere velit, nisi qui prius conductum praeceptorem adduxerit vel sub disciplina paedagogica vivere paratus sit." Quibus alia subiiciuntur de salariis magistrorum paedagogii ab universitate solvendis. Eodem anno hoc paedagogium plane constitutum et absolutum esse inde patet, quod

proximo mense Novembris magistri, ut in actis videre licet, deputantur a facultate ad discipulos paedagogii examinandos, ut vel inde dimittantur ad altiora facultatis studia persequenda vel diutius ibidem retineantur [1]). Habuit autem haec schola duo magistros: paedagogum latinum et paedagogum graecum, qui vocabantur, ab universitate stipendium annuum accipientes, cum consistorio non placuisset, a discipulis paedagogii didactrum, quod facultas philosophica voluit, exigi. Haud semel praeceptores paedagogii viri iuvenes fuerunt, post breve tempus qui ad alia munera se converterent; haud raro etiam haec paedagogica docenti provincia cum professione facultatis philosophicae grammatica coniungebatur. Semper vero facultas et consistorium auctoritatem et curam in regendo paedagogio summam exercuit. Tota huius instituti ratio et disciplina optime perspici potest, ex lectionum catalogo typis descripto anni 1593, in bibliotheca nostra academica asservato, quem tamen in fine mancum esse et lacerum doleo [2]).

Iis expositis, quaecunque per illa priora saecula publicis lectionibus, bursarum disciplina et institutione scholastica universitas nostra ad antiquarum studia literarum promovenda instituit, iam duas reliquas huius

---

[1]) Acta facultatis artium. 1572. 10. Novembr. fol. 381.

[2]) Libellus ita inscribitur: Synopsis Ordo et Catalogus praelectionum et exercitationum facultatis artium et classium eidem coniunctarum, una cum indice professorum et auctorum qui hoc anno M. D. XCIII. in eadem facultate et classibus archigymnasii Friburgensis Brisgo. docebuntur. Friburgi Brisgoiae 1593. 4.

enarrationis partes explicandas aggredior, quae adhuc explicandae restant, et breviter exponam primum de praeceptoribus privatis et deinde de paucis aliis quibusdam institutis, quae plus minus ad humanitatis studia vim aliquam haberent.

Quemadmodum igitur iam inde a primis universitatis nostrae temporibus lege statutum erat, ut omnes facultatis philosophicae auditores in bursarum convictu et communi disciplina degerent, ita et iis qui in bursis habitarent et qui extra bursas vivendi permissione uterentur, praescriptum erat, ut ad privatos praeceptores, qui studia eorum regerent, se applicarent. Hi autem privati praeceptores discipulis suis, et omnino quae in lectionibus publicis audierant repetitis studiis denuo inculcabant et inprimis in graeco et latino sermone addiscendo eos iuvabant; quod quidem ante paedagogii sive institutionem sive instaurationem primarium eorum munus fuisse videtur. Facultas philosophica non minus quam senatus academicus magnam huius rei semper habuit curam, atque hoc institutum constanter tenuit et omnibus modis commendavit. Huius autem instituti duplex ratio fuit. Primum enim usu venit, ut singuli magistri plures scholares secum domi erudiendos haberent. Hoc vel a professoribus facultatis philosophicae publicis nonnunquam fieri solebat; cuis rei Hartungus exemplo esse potest, cuius domus ad eiusmodi iuvenum convictum et privatam institutionem perpetuo patuisse videtur. Multo frequentius vero altera ratio obtinuit, ut singuli scholares singulos praeceptores privatos assumerent. Atque in hac quidem re videre licet quanta vis sit consuetudinis, et quam diu-

genuum sua rudi barbarie inficiat, eiiciatur." Ibid. seq. Capite: De modo studendi in artibus liberalibus: Quamvis quisque in domum nostram sapientiae assumptus possit libere animum suum cuicunque velit facultati addicere in eadem, et omnipotenti deo studium gratum facere: hortamur tamen corde sincero, si qui in dictam domum scolares assumti magisterio in artibus insigniti non fuerint, ut primo liberalibus disciplinis, validissimo cunctarum artium fundamento, praeterea philosophia naturali, rationali, morali se imbuant etc.

De illo altero poenarum quarundam instituto supra a nobis significato haec tenenda sunt. Possis has poenas haud incommode mulctas literarias appellare. Adhibebantur autem a facultate in baccalaureos non minus quam magistros, quoties aliquid in lectionibus publicis rite et ex ordine praescripto audiendis commissum vel si quid in examine sive baccalaureatus sive magisterii causa superando non plene praestitum esset vel in aliis denique levioribus delictis. In eiusmodi causis iis, qui ita peccassent, iniungi solebat, ut aut declamationem latino sermone publice haberent aut latinum aliquem auctorem privato studio tractarent et examine peculiari diligentiae in hoc studio collocatae specimina darent, alia eiusmodi. Exemplis cum haec res clarior futura sit, iam e facultatis nostrae actis pauca quaedam promamus. Ibi igitur ad anni 1568 diem 20. Decembris legitur: Consultatum est de quatuor supra nominatorum candidatorum poena ob excessum suum (iniuria videlicet affecerant praesidem collegii Battmannici) illis infligenda. Decretum est ut quilibet eorum semel declamet et bis disputet et hoc intra angariam (h. e. in-

tra unius semestris spatium). — Porro eiusdem anni 8 die Iunii baccalaureando alicui irrogatur poena, ut Ciceronis libros De Officiis et Erasmum De copia verborum privato studio perlegat et post aliquod tempus diligentiae in hac opera positae examen subeat. — Alii cuidam baccalaureando, anni 1571 die ultima Maii haec poena imponitur, ut per dimidiatum annum M. Io. Iac. Beurer Virgilium profitentem diligentissime audiat. Alia eiusmodi; sed allata exempla sufficiant.

Atque haec sunt, quae de studii philologici ratione per XV. et XVI. saecula apud nos vigente nunc quidem dicenda habui.

Iam ad vos oratio se convertit mea, commilitones suavissimi, seminarii philologici sodales, qui iam nunc in hoc liberalioris doctrinae stadio cursum strenui instituistis et alacres sustinetis; e quorum ego studiis faustissimum rerum nostrarum augurium capio. Macti virtute estote, iuvenes lectissimi. Nulla coacti lege, nullo iussi imperio, sed sponte bonarum artium studio incensi, sed puros haustus e limpidissimis humanitatis fontibus appetentes in hoc suavissimum Musarum contubernium advolastis. Quapropter necesse non est, ut ardorem vestrum accendam aut stimulos vobis addam. Nunquam vos vestrae, hoc certe scio, diligentiae poenitebit: quo enim ea qua coepistis via longius progressi fueritis, eo magis et plenius percipietis, quam haec humanitatis studia afferant generosissimae voluptatis sensum, quos utilitatis fructus non solum ad singulas disciplinas sed ad omnem ingenii cultum adeoque ad

veram et masculam virtutem redundaturos. Ut enim alia commoda taceam, commilitones, quae quivis non plane indoctus inde comparari posse facile videat, hoc nomine mihi haec humanitatis studia inprimis commendari videntur, quod qui ea rite et intelligenter severiori lege tractaverint, eos quam plurimum adiuvant ad haec tria quantivis pretii bona assequenda: accuratae et solidae eruditionis studium et intellectum; deinde criticam quandam in rebus diiudicandis facultatem; animum denique liberum, erectum et praeiudiciis male conceptis vacuum. Eumne enim putatis unquam obscura aliqua et manca rei tractandae alicuius cognitione contentum in superficie quasi haerere neque ulterius penetrare, et rivulos turbidos sectari, cui fontes pateant et qui in rerum memoria repetenda et in cognoscendis literarum monumentis assiduam et accuratam operam collocare consueverit? Aut eum opinionem quamlibet arripere et inania erroris vel fraudis ludibria sibi pro veritate venditari passurum esse, qui veterum scriptis tractandis usu cognoverit, quanta cura adhibenda sit, ut a veritate falsam speciem distinguamus et qui eo veritatis investigandae studio teneatur, ut vel in singulis verbis quaerere soleat, quid a scriptore aliquo vere profectum, quid eidem falso affictum sit? Aut denique eumne censetis vera rerum pretia et veros usus ignorantem eadem quae miratur vulgus mirari, qui in convictu quasi sapientissimorum et praestantissimorum ex omni antiquitate virorum degens nihil magni aestimare didicerit, nisi quod sit sincerum, generosum, honestum, decorum? Ad hanc igitur laudem nos quoque, Commilitones, communibus viribus contendamus;

ego certe quidem, quantum in me virium est, hanc semper viam vobis praeibo. Atque ut facillimo negotio magistrum invenire potestis me et ingenii et eruditionis laudibus longissime antecedentem, ita hoc saltem me perfecturum esse spero, ut non aeque facile quemquam inveniatis amantiorem vestri et qui magis suorum ipsius commodorum oblitus vestris commodis consulat. Nec minora vel etiam maiora de collega meo, qui mecum has vobis litteras tradit, spondere me posse confido. Coniungite igitur opera nunquam intermittente vestra studia cum nostris studiis, vestram diligentiam cum nostra diligentia; verum etiam vestram cum nostra gratiarum actionem, quas de seminario nostro recens instituto plurimas et habemus et agimus patribus academicis, illustrissimo huius universitatis curatori, supremo principis consilio, LUDOVICI magni ducis denique, rectoris quondam nostri magnificentissimi Manibus. Cuius augustissimo successori, et iis omnibus, quorum auctoritate studia nostra reguntur, hoc novellum institutum maiore et venia et cura indigens, ea qua par est observantia impense commendamus. Inprimis vero Tibi commendamus, qui omnes has res humanas, magnas, minutas, nutu tuo regis et ad quem mens nostra, quoties laudabile aliquid et honestum molitur, sponte sua dirigitur. Te igitur, supremum numen, precor, veneror, ut hanc bonarum artium sedem recens constitutam prosperes, secundes, fortunes; atque ut sit hoc nostrum doctrinae non minus quam honestatis seminarium.

CLAUDII IMPERATORIS
ORATIO
SUPER CIVITATE GALLIS DANDA.

EDIDIT
CAROLUS ZELL
UNIVERSITATIS FRIBURGENSIS PROFESSOR.

(Programma academicum Friburgense anni 1833.)

Inscriptiones veteres romanae in aere et lapidibus literis consignatae ut olim a doctis viris non sine multo labore magnis voluminibus comprehensae acerrimo studio tractabantur, ita hodieque non desertae iacent, sed neutiquam in communi rei publicae literariae usu pro eo, quem praebent fructum, satis frequentari videntur. Nam si ex eiusmodi monumentis nonnisi reconditae quaedam vel singulares rerum notitiae peti possent, iure doctissimi cuiusque vel otio vel peculiari studio relinquerentur: quod secus est. Ut enim voluptatis sensum taceam, quo perfundimur, quoties germanas e media antiquitate superstites reliquias contemplamur, pertinent veteres tituli ad omnes publicae vitae et privatae partes, ad omnia fere scribendi genera, ut et literarum latinarum complementum efficiant et apta ratione iuncti atque distributi vivam et spirantem totius antiquitatis effigiem exprimant. Quapropter tantum abest, ut epi-

graphices studium in reconditioris eruditionis sinu latere debeat, ut in clara communis usus luce collocandum et ab omnibus qui romanae antiquitati cognoscendae qualemcunque operam navant, nedum ab iis, qui hanc provinciam administrandam susceperunt, non mediocri cura colendum videatur. Sed commodis adminiculis et subsidiis quibus primum adeuntibus via ad fructuosam huius rei tractationem aperiatur, adhuc caremus, vel in his tam multis copiosissimis veterum titulorum collectionibus et in tanto voluminum eodem pertinentium numero. Nam praeter ZACCARIAE [1]), viri in hoc genere doctissimi, Institutionem lapidariam, alius liber, quantum scio, non exstat, quo epigraphices latinae studium apte auspicari possimus. Verum is ipse liber inter nos rarissimus est, atque ut bonae frugis plenissimus et accuratae doctrinae laude conspicuus, ita in tractatione et rerum explicandarum ordine plura habet, quae emendanda videantur. Collectiones contractiores, eidem usui inservientes habemus FLEETWOODII [2]), PATAVINAM [3]) et ampliorem illam, qua ORELLIUS [4]) nuper admodum de literis egregie meruit. Sed prima et altera aegre apud nos inveniuntur, ORELLIANA spissior est, quam ut iis potissimum, qui primum hanc

---

[1]) Istituzione antiquario-lapidaria. Rom. 1770 et Venet. 1783. 8.

[2]) Sylloge Inscriptionum antiquarum. Lond. 1691. 8. Amstel. 1696. 8.

[3]) Romanarum Inscriptionum Fasciculus. Cum explicatione notarum, in usum iuventutis. Patavii 1784. 8.

[4]) Inscriptionum latinarum selectarum amplissima collectio. Ed. Io. CASP. ORELLIUS Turici 1828. 2 Vol. 8.

studiorum partem attingunt, accomodata sit, singulae autem, ut mihi quidem videtur, et meliori ordine digerendae erant, et aptiori delectu, (nam et apud Orellium, etsi consulto, vel gravissimae et ad rerum cognitionem utilissimae inscriptiones omittuntur) et in tota operis conformatione non usquequaque iis fortasse satisfaciunt, qui aditum ad hanc nobilissimam et fructuosissimam studiorum partem quam facillimum et comodissimum esse voluerint. Quapropter iam diu demiratus sum, in tanto scribentium nostra aetate numero neminem adhuc hanc Spartam sortitum ornandam suscepisse, praesertim postquam hic suppelectilis nostrae literariae defectus, neminem earum rerum intelligentem latens insuper a Friderico Augusto Wolfio indigitatus esset [1]. Atque quum neminem alium huic rei operam dare vidissem, ipse eius perficiendae consilium aliquot abhinc annis cepi [2].

Cui negotio cum mihi maxime intento initium esset

---

[1]) F. A. Wolf Von einer milden Stiftung Trajans, vorzüglich nach Inschriften. Berlin 1808 in praefatione: „Schon längst hatten junge Philologen zu wünschen, es möchte ein neuer Fleetwood ihnen eine zu dem Studium der Epigraphik einleitende Auswahl von Inscriptionen besorgen, wodurch zugleich allerlei lehrreiche und schätzbare Bruchstücke des Alterthums in erneuten Umlauf kommen würden.“

[2]) Quod meum consilium cum alia ob studia et post aliquot annos ad res agendas delatus reliquissem, seriore demum aetate ad munus professorium reversus, triginta fere annis post repetivi et libro edito exsecutus sum qui inscribitur: Handbuch der römischen Epigraphik. Heidelberg bei Carl Winter, 1851. 1852. I. Theil: Delectus inscriptionum romanarum. II. Theil: Anleitung zur Kenntniss der römischen Inschriften. III. Theil: Supplement. 1857.

indicandum scholarum in hac nostra Academia per semestre aestivum habendarum, quod boni, credo, ominis causa et ut cives nostros aliquo industriae documento excitemus, aliquid commentando scribendoque fieri assolet: quid aliud potius tractandum sumerem, quam aliquid ex iis studiis, quae me hoc ipso tempore detinerent? Delegi igitur monumentum romanae antiquitatis, quod hac opportunitate usus accuratius explicarem, et cognitu haud uno nomine dignissimum neque peculiari opera adhuc a quoquam pertractatum. Est Oratio Claudii Imperatoris, quae dici solet, De civitate Gallis danda, quam a rerum scriptoribus et antiquariis nostrae aetatis fere neglectam Niebuhrius pluribus Historiae romanae locis ab hac olivione quasi vindicavit. Atque primum quidem disseramus de inscriptionis conditione, fatis, editionibus, additis aliquot observationibus de Principum Orationibus, quoniam ad hoc ipsum genus inscriptio pertinet; tum de Claudianae orationis occasione et argumento; postremum de Claudii Imperatoris facultate oratoria et in universum et qualem hac oratione ostenderit. His praemissis, subsequentur Orationis reliquiae, quantum fieri potuit emendatae et commentariolo illustratae. Quo toto in opere multum me adiuvit subsidia quaedam literaria, quibus carui, mecum communicando insignis Golberrii, in Curia regia Colmariensi Consiliarii, viri doctissimi, humanitas, quem patria, natione, muneribus publicis Gallia sibi ut suum, literis, doctrina, studiis Germania cum Gallia tanquam commune ornamentum sibi vindicat, universa res publica literaria egregie de se meritum agnoscit.

Inscriptio, quam explicaturi sumus, tabula aenea, quae in duas partes fracta est, continetur, Lugduni anno 1528 auctore Menestrier, vel 1529 Sponio auctore in monte S. Sebastiani reperta. Qui in hac parte antiquissimam Lugduni sedem constituunt, haud absurde coniiciunt, stetisse ibidem curiam urbis, atque in ea has tabulas olim asservatas fuisse. Sed Menestrier, (pag. 7. libri infra laudandi) qui antiquissimum Lugdunum ideoque urbis curiam non hac parte, sed in altera Araris ripa fuisse contendit, in monte illo S. Sebastiani templum aliquod fuisse suspicatur, in quo hae tabulae ibidem erutae, conditae haberentur. Neque hoc contra fidem: nam nihil apud antiquos frequentius, quam tabulas publicas omnis generis in templis asservari. Emerunt, eodem quo inventae erant anno, tabulas Decuriones urbis et in curia, ubi hodieque conspicitur, collocarunt, narrante Menestrier pag. 108. De literarum ductibus et scripturae genere nihil adnotatum reperio, nisi quod Sponius refert, singula verba punctis distingui, exceptis iis, quae versum vel integrum paragraphum claudant; atque pone literas quasdam, ut O D Q non infra in pede literae punctum collocari, ut nunc quibuscunque literis praecedentibus fieri solet, sed paulo superius ad mediam fere literam insculptum conspici. Utramque rem veterum inscriptionum propriam esse constat. Quin sunt rei lapidariae periti qui contendant, punctum, etsi singulis vocabulis additum, in fine versuum tam constanti usu omitti, ut suspectae eae inscriptiones habendae sint, quae punctis etiam in fine versuum additis ab hoc usu recedant. Haec est sententia Maffei, (Ars critica lapid. p. 212. 214);

aliorum. Neque vero haec suspicionis nota certa esse potest, cum tituli, quorum fides in dubium vocari nequit, hanc ipsam rationem sequantur. V. Museum Veronense p. 221 N. 4. Fabretti Inscript. p. 117. Hagenbuch Observat. criticae apud Orellium l. l. Vol. II. p. 362 § 7.

Orthographia, si pauca eaque leviora exceperis, nihil inusitati habet. Quod ideo notatu dignum, quia in monumento aevi Claudiani, et quod ipsius Clavdii orationem continet, tres illas novas literas expectaveris, quibus Imperator Grammaticus alphabetum latinum ditavit, Digamma aeolicum, Antisigma et tertiam, de qua non satis liquido constat. (V. Tacit. Annal. XI, 14. Sueton. in Claud. cap. 41.) In publicis quidem instrumentis has literas Claudianas curiose usurpatas esse et per se patet et Tacitus cum Suetonio affirmat [1]). Neque hodieque monumenta desunt, huius inventi vestigiis insignita. Sed et alii eiusdem aetatis tituli supersunt, iique publice et in urbe ipsa confecti, qui vulgarem consuetudinem servant, ut Aquae Claudiae inscriptio in porta Naevia (Orelli N. 54) et tabula honestae missionis (Ibid. N. 2652). Quodsi igitur Romae literae Claudianae vel in titulis publica auctoritate positis non ubique admittebantur, quid mirum si idem in provinciis factum videmus? Cf. Orellii Collectio N. 648. 708. 713. Eadem causa est, quod et in hac orationis

---

[1]) Tacit. l. l. Claudivs tres literas adiecit, quae usui imperitante eo, post obliteratae, aspiciuntur etiam nunc in aere publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo. — Sueton. l. l. Exstat talis scriptura in plerisque libris ac diurnis, titulisque operum.

Claudianae exemplo lugdunensi non imperatorii capitis inventum sed communis consuetudo usurpatur. Quanquam fortasse hoc, quod superest exemplum, non Claudianae aetatis est, sed posteriori tempore de tabula authentica transcriptum. Ceterum hanc tabulam non integrum instrumentum continere, manifestum est. Praeterquam enim quod ipsa in summa parte lacera est, ad orationem absolvendam altera ad minimum tabula opus fuisse suspiceris, et si Senatus consultum eiusdem argumenti additum erat, quod probabile est, orationi, etiam tertiam tabulam ad minimum, adiectam credideris. Hactenus de monumenti materia, forma, scripturae genere.

Primus edidit, quantum exquirere potui, Paradinus (Mémoires de l'histoire de Lyon. Lyon 1573). Inde Brissonius in Opus suum praeclarum (De formulis (1592) p. 268), Gruterus in Thesaurum Inscriptionum (1602) p. DII. transscripserunt, atque iam antea ex eodem, ut videtur fonte, Lipsius in commentarios ad Tacitum (1574). An iam prima Editio Lipsiana Taciti habeat, atque si non habet, quaenam harum editionum primum praebeat definire nequeo, quum non omnes ad manus sint. De tabula antiqua exemplum denuo transscripsit Spohnius (Recherche des antiquités de la ville de Lyon. pag. 170) versione Gallica addita et paucis sed levissimi momenti observatiunculis. Denuo inscriptionem et aliquot locis emendatius descriptam dedit Menestrier in libro qui inscribitur: Histoire civile ou consulaire de la ville de Lyon. Lyon 1696. pag. 165. gallice vertit (p. 106) et nonnulla ad explicandum monumentum attulit (p. 104 seqq.), neque vero satis accurate exco-

gitata. Commendatur enim omnino hic liber eruditione potius copiosa, quam accurata et severa. Sequitur Editio Thesauri Gruteriani Graeviana (1707); quae textui paucas notulas historicas, et coniecturas subiectas habet. Praeter Taciti editiones, quae Lipsium sequentes Claudii orationem receperunt, novissime eam exhibuit Haubold (Monumenta legalia extra libros iuris sparsa Ed. Spangenberg Berolini 1830, pag. 190); sed nihil interpretationis causa addidit. Quae omnia exempla nonnisi paucis locis, ut par est, inter se dissentiunt; lectionis varietatem accurate tamen enotatam infra proponamus [1]).

Pertinet autem hoc monumentum, nunc quidem aliquanto accuratius a nobis, quam a viris doctis modo enumeratis, tractandum, ad Orationes Principum, igitur ad id publicorum monumentorum genus, quod iuris romani publici et privati, quale sub imperatoribus fuit, magnam partem continet et a veteribus Iureconsultis frequentissime usurpatur. Nam cum Imperatores, quoties consulatum gererent, et praeterea ob tribuniciam potestatem ius haberent referendi ad Senatum, ita hoc iure uti solebant, ut aut ipsi orationes in senatu haberent, aut, si absentia vel alio impedimento distracti essent, a peculiaribus quaestoribus, qui Principis Candidati appellarentur, recitari iuberent. Primis quidem imperii temporibus Principum orationes vim legum non induerunt, nisi Senatus consulto, quo confirmarentur, ac-

---

[1]) Editiones huius orationis de eaque commentationes postea publici iuris factas enumeravi in Enchiridii mei epigraphici Tom. II. pag. 279. not. 2. et in Supplemento Enchiridii edito Heidelbergae 1857 pag. 18. ad Enchiridii num. 1693.

cedente. Sed pedetentim senatus auctoritate imminuenda et potentia principum ingruente, senatus confirmatio plerumque nihil nisi inanis imago erat, et principum orationes sive habitae in Senatu sive eodem missae, vel sine Senatusconsulto vim legis obtinuerunt. Quod etsi primus Theodosius lege edixit, iam multo prius usu invaluit. Duplex autem eiusmodi Orationum genus habebatur, alterum paucis verbis absolutum, quod nonnisi caput rei indigitaret, de qua postmodo plenum et solenne Senatusconsultum fieret; alterum uberius, quod et rationes legis ferendae, eiusque singula capita contineret. Cui quidem posteriori generi, quantum e reliquiis coniici potest, haec Claudii Oratio adnumeranda erit. Solebant autem Principum orationes non minus quam Senatusconsulta ipsa in aes incidi, teste Plinio in Panegyrico cap. 75. „Sed quid singula consector et colligo, quasi vero aut oratione complecti aut memoria consequi possim, quae vos, P. C. ne qua interciperet oblivio et in publica acta mittenda et incidenda in aere censuistis? Ante orationes principum tantum eiusmodi genere monumentorum mandari aeternitati solebant: acclamationes quidem nostrae parietibus curiae claudebantur etc.“ Praeter exempla iubente senatu in aerario aut quovis alio loco asservata, res ipsa fert, etiam ad eas gentes, civitates, privatos, quorum intererat, tabulas ut Senatus consultorum ita Orationum Principum missas esse, aut ab ipsis curatas. Iam ecce de tot tabulis, orationes principum continentibus, haec una Lugdunensis superstes. Notabile est in hoc genere adulationis documentum, quod Neronis primam orationem imperium auspicantis in senatu habitam, non tabulis

aeneis sed columnae argenteae incidi senatui placuit, ac quotannis, quum novi Consules magistratum inirent, coram patribus conscriptis recitari. Sed, Dione Cassio narrante (Lib. LXI. 3. p. 981. Ed. Reimar.), decreverunt hoc senatores, „tanquam boni principis imperium velut ex syngrapha habituri." Sed de Principum Orationibus hoc quidem loco haec sufficiant, de quibus post Brissonii (Select. Antiq. I. 16) et C. O. a Boekelenii peculiarem de hoc genere commentarium (Opuscula Lugd. Bat. 1678 p. 109) plures exposuerunt. Cf. Heineccii Antiquit. Iurisprudent. illustrant. I. 2, 45. p. 65. Ed. Haubold. et qui uberior et accuratior hac quidem parte est Zimmern Geschichte des römischen Privatrechtes. Tom. I. P. 1. pag. 78 [1]). Idem nuper argumentum tractavit Alexander de Buchholtz, etsi ille quidem breviter sed docte, in Dissertatione Ad Orationem Divi Severi De potioribus nominandis. Regiomonti Borussorum. 1824 pag. 11 sqq. Inprimis vero consulenda est Dirksenii Commentatio: Ueber die Reden der römischen Kaiser und deren Einfluss auf die Gesetzgebung. (Rheinisches Museum für Iurisprudenz 1828. Fascicul. I. p. 94—105.) Atque hi quidem viri docti, ut par est, potissimum orationes principum respexerunt apud veteres Iureconsultos obvias. De earum Principum orationum auctoritate, fide, tractatione, quae apud

---

[1]) Quanquam quae ibidem p. 80. not. 16 de hac Claudii Oratione afferuntur, ad ius privatum non pertinente, emendanda sunt. Nam haec tabula neque Leodii (Lüttich) asservatur, ut ibi operarum vitio legitur, neque a Lipsio primum edita, neque a Sponio commentario est instructa.

rerum scriptores reperiuntur, Dirksenius acute quaedam monuit (pag. 94. not. 1); sed haud supervacaneus labor esset, hoc posterius orationum genus peculiari opera denuo illustrare. Qua in re hoc ipsum monumentum lugdunense, ad Taciti certe quidem rationem cognoscendam, quam plurimum valet, quia eandem Orationem Claudianam Annalibus suis intulit, ut comparatione instituta intelligere possimus, quam viam omnino in eiusmodi orationibus tradendis secutus sit. Sed hanc comparationem ipsi infra instituemus; nunc de occasione, argumento, eventu orationis Claudianae videamus, quae omnia Tacitus Annalium Libro XI. cap. 23—25. nos docet, ut hanc quidem muneris nostri partem melius administrare non possimus, quam potiora ex hoc ipso loco Taciti excerpendo et explicando.

Tacitus igitur „A. Vitellio, inquit, L. Vipstano Coss. cum de supplendo Senatu agitaretur, primoresque Galliae, quae Comata adpellatur, foedera et civitatem romanam pridem assecuti ius adipiscendorum in urbe honorum expeterent, multus ea super re variusque rumor. Et studiis diversis apud Principem certabatur.“ Iam eorum rationes afferuntur, qui ius honorum et dignitatem senatoriam non cum aliis quam cum Italiae incolis communicanda esse contenderent. Deinde pergit Tacitus (cap. 24): „His atque talibus haud permotus Princeps et statim contra disseruit et vocato Senatu ita exorsus est.“ Sequitur oratio Principis in Senatu quam mox cum monumento eiusdem argumenti lugdunensi accuratius conferemus. Postremum addit (cap. 25): „Orationem Principis secuto Patrum consulto, primi Aedui Senatorum in urbe ius adepti sunt. Datum

id foederi antiquo et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo romano usurpant."

Dolendum est huius rei memoriam perquam memorabilis ad historiam et civitatis romanae et Galliae nullum alium scriptorem praeter TACITUM nobis tradere. Quo accuratius eius verba excutienda et ad statum Galliae civilem qualis tunc fuerit, exigenda videbuntur.

Ac primum quidem teneamus causam cur de supplendo senatu tunc agitaretur, quoniam haec ipsa res Gallorum precibus ansam dedit. Pertinet haec procul dubio ad censurae munera, quam CLAUDIUS eo tempore singulari studio gessit. Quod vel inde patet, quoniam TACITUS, ubi de iure honorum Aeduis tributo narravit, continuo nulla alia re interposita, tradit vetustissimum quemque e Senatu a Caesare in numerum patriciorum esse adscitum; atque subiungit: „Laetaque haec in rem publicam munia multo gaudio Censoris inibantur." Quum igitur CLAUDII Censoris in Senatu legendo severitate (cf. ibid. cap. 25) plures Senatu moti essent, primorum Galliae comatae studia excitabantur, qui hanc opportunitatem vacuas in curia sedes occupandi cupide arriperent. Perficiendi vero spem eo magis fovere poterant, quod Imperator CLAUDIUS, Lugduni in ipsa Gallia Comata natus, popularis eorum esset. Iam quid potissimum hac occasione expetitum sit, liquet: nempe ius honorum, sive, quia honoribus functis aditus in senatum patebat, ius senatorum ut TACITUS l. l. c. 25. nomine minus solenni vocat, ergo complementum illud plenae civitatis romanae, quod petentibus, civitatem non optimo iure habentibus adhuc deerat. Petierunt igitur idem ius, quod Galli Provinciae Narbonensis iam

pridem obtinuerant, ut taceam de Gallis Cisalpinis, qui iam dudum et Cispadani quidem post bellum Marsicum, Transpadani Iulio Caesare Dictatore plenam civitatem adepti erant. V. Lips. ad Tacit. Annal. XI. 23. In Gallia autem Narbonensi qui civitatem romanam haberent, iisdem et ius honorum fuisse, demonstrat Taciti locus Annal. XII. 23. quo Senatoribus eius provinciae privilegium aliquod concessum esse traditur, tum id quod haec ipsa Claudii Oratio de colonia Viennensi, eiusque cive Valerio Asiatico continet vers 9—16. Col. II. Quid quod et praeter Lugdunenses, quos Oratio Claudii significat, ex ipsa Gallia Comata aliquot Senatores romani iam pridem prodiisse videntur, sed bellorum civilium tempore ex arbitrio Iulii Caesaris Dictatoris. Is enim, Suetonio teste (Iul. Caesar. cap. 76) „Civitate donatos et quosdam e semibarbaris Gallorum recepit in curiam.“ Unde illa vulgo canebantur (Ibid. cap. 80): „Gallos Caesar in triumphum ducit, idem in curiam: Galli braccas deposuerunt, latum clavum sumserunt.“ Quanquam ea omnia etiam de Gallia Narbonensi accipi possunt, quae et ipsa Gallia braccata appellabatur. Nunc a quibus et in quorum gratiam petitio facta sit, paulo accuratius dispiciendum est. Primores Galliae, quos Tacitus vocat, prima fronte omnino eos intellexeris, qui opibus, auctoritate, gentis antiquitate et splendore inter populares suos excellerent. Neque ego hanc explicationem reiiciendam esse pronuntio; sed alio quoque modo hos primores intelligi posse, non reticeam, etsi adhuc nihil certi definire ausim. Nam si primores, quamvis dites, opulenti, potentes, privati homines sunt, qua tandem ra-

tione foedera assecuti dici poterunt? Inde mihi suspicio nata est, hos primores Galliae intelligendos esse non privatos homines, sed civitatum in Gallia comata Decuriones sive Senatores. In Decurionum ordine sive in Curia praecipuarum certe quidem urbium veterem nobilitatem Gallicam fuisse, cum SAVIGNIO (Geschichte des römischen Rechtes im Mittelalter T. I. p. 55) haud temere credideris. Similis ratio olim fuit in municipiis italicis, in quibus Augusto imperante non omnes cives romani, sed tantum Decuriones municipiorum ius suffragii in comitiis Populi romani exercebant, adeoque cives romani optimo iure habebantur. V. SUETON. AUGUST. cap. 46. SAVIGNIUS l. l. p. 22. Sed utut hoc sit, primores illi Galliae civitatem etsi non optimo iure romanam iam assecuti, sive privatos homines sive nonnisi Ordini Decurionum sive Curiae adscriptos intelligas, ius honorum quo ad civitatem optimo iure obtinendam adhuc carebant, non his vel illis Galliae civitatibus, nedum universis Galliae incolis petierunt, aut in eorum gratiam assecuti sunt, quae fuit doctorum quorundam opinio; sed hoc potius expetiverunt, ut solum ii inter Galliae Comatae incolas, qui civitatem romanam, (quam non homines de plebe, sed plerumque genere, fama, opibus conspicuos habuisse, par est), eamque adhuc non optimo iure, sed iure honorum carentem haberent, iam plenam eandem, iure honorum, quod viam senatoriae dignitatis aperuit, addito, consequerentur. Eorum autem, qui hoc expeterent, duplex genus cogitandum esse videtur. Civitatem enim romanam alii aut ipsi pridem assecuti erant aut a maioribus iam acceptam tenuerunt, iique maiorem partem eorum constituisse

censendi sunt, qui hanc novam iuris honorum accessionem peterent; alii, iique pauciores civitatem romanam habebant iure oppidorum, quorum cives essent, puta Coloniarum romanarum, quae tamen tempore Claudii paucissimae, non plus quatuor in Gallia Comata reperiuntur, Lugdunum, Colonia Agrippina, Colonia equestris et Augusta Rauracorum. Quanquam de hac altera Gallorum civium romanorum classe mihi non satis liquido constat. Nam Lugdunum qua de re infra videbimus, romanam civitatem optimo iure iam tum fortasse habuit: reliquorum trium coloniarum iura non satis accurate novimus. Nam Lipsius quidem fallitur, qui ad hunc Taciti locum (Annal. XI. 23) coniicit, universae Galliae Transalpinae, adeoque Comatae civitatem romanam, ab Augusto, sed sine iure suffragii et honorum datam esse; ad quam rem firmandam nullum aliud argumentum afferre potest, nisi quod Dio Cassius (L. LIV. c. 24) narrat, Augustum rebus Gallicis, Germanicis Hispanicisque omnibus confectis, libertatem et ius civitatis aliis dedisse, aliis ademisse. Vero propius, cautius certe quidem Spanhemius in orbe Romano Exercitat. I. cap. 14. pag. 93. Ed. Heinecc. „Comatae, inquit, Galliae ac Transalpinae proinde, primoribus, sed adhuc sine suffragio datam sub Augusto dum Galliam nempe peragravit, vel nonnullis ante sub Iulio, civitatem, nempe iis, qui de nomine Romano bene erant meriti; non vero universis adhuc illius gentis oppidis, licet omnino statuere."

Quemadmodum de petitionis a primoribus Gallorum factae argumento, ita etiam diversae et partim confusae opiniones habentur, de eiusdem petitionis atque

adeo de Orationis Claudianae eventu. Qua in re dirimenda Tacti locus ante omnia excutiendus, (Ann. XI. 25) qui „Orationem, inquit, Principis secuto Patrum Consulto, primi Aedui Senatorum in urbe ius adepti sunt.“ Ex ratione grammatica locum duplici modo intelligi posse, patet. Aut enim Tacitus hoc sibi vult: nunc quidem ius honorum nonnisi Aeduorum primores adeptos esse, neque vero reliquos Galliae Comatae primores; eosque posteriori demum tempore aliquando hoc ius obtinuisse. Aut ita dicit: omnes Galliae Comatae primores ius honorum, quod expetiverint, consecutos, sed primos inter eos Aeduos. Ac mihi quidem haec posterior sententia placet. Non enim solis Aeduis Princeps hoc privilegium oratione sua a Senatu petivit, sed omnibus Galliae Comatae primoribus; neque usquam a Tacito significatur aut rei ratio innuit, Senatus-Consultum quidquam contra Principis orationem statuisse. Enumerabantur, ut mihi rem informo, in hoc Senatusconsulto, singuli Galliae comatae populi et singulae civitates, quorum primores civitatem romanam etsi sine iure honorum nacti, iam idem civitatis ius honorum iure cumulatum obtinuerint. Qua in enumeratione datum est id foederi antiquo et populi dignitati, ut omnium primi Aedui appellarentur. Iam considera, quo iure olim Lipsio, aliis, visum sit atque hodieque non in uno libro tradatur, hoc Senatusconsulto Orationem Claudii secuto universae Galliae Comatae (non solum singulis eius gentibus primoribus civitate iam praeditis) civitatem romanam optimo iure concessam esse. Manavit is error e Senecae loco male intellecto (De Benef. VI. 9). „Quid ergo? Si Princeps civitatem

dederit omnibus Gallis, si immunitatem Hispanis, nihil hoc nomine singuli debebunt?" Seneca enim de civitate Gallis et de immunitate Hispanis data non tanquam de re vere facta loquitur, sed hoc exempli causa ponit. Hoc ita esse demonstrat vel alius Senecae locus (Apocolocynt. p. 818) ubi Clotho, ita loquens de Claudii morte inducitur. „Ego me hercule pusillum temporis adiicere illi (i. e. Claudio) volebam, dum hos pauculos, qui supersunt civitate donaret. Constituerat enim omnes Graecos, Gallos, Hispanos, Britannos togatos videre. Sed quoniam placet aliquos peregrinos in semen relinqui et tu ita iubes fieri, fiat." Unde satis apparet, Claudium universae Galliae, civitatem etiamsi fortasse id agitantem, non vere dedisse. Denique rem conficit Plinius, qui (Histor. Nat. IV. 17) post Claudii aetatem Galliam Comatam describens, varias eius gentes et civitates accurate distinguit liberas, foederatas, latina oppida et romanas colonias. Iam dudum explosit Spanhemius (Orbis roman. I. 16. p. 95) hunc Lipsii errorem, ab aliis propagatum, ut iure mireris hodieque in libro usu frequentato eundem novo errore adauctum reperiri. (Sickler Handbuch der alten Geographie. pag. 36. VIII. Ed. I.)

Quae adhuc disputavimus viam muniant ad intelligentiam orationis Claudianae, cuius nunc argumentum et dispositionem partium brevitur adumbremus et cum ea oratione, quam Tacitus Claudium habentem inducit, conferamus. In priori, quae dicitur, tabula, sive potius columna ab initio manca, Princeps orator, ne novitas rei causae Gallorum noceat, persequitur omnes fere formarum et statuum vicissitudines, quas res publica romana ab origine am-

plexa sit, ut novitatis scrupulum Patribus conscriptis eximat. In altera columna ab initio et ipsa mutila Tiberii Caesaris meminit, bonos et locupletes viros undique e coloniis et municipiis in senatum recipientis; etiamsi Italici senatores provincialibus praestent. Tum pro exemplo proponit coloniam Viennensem in Gallia Narbonnensi, senatorum romanorum altricem, nominatim laudans L. Vestinum et tecte sed acerbe notans Valerium Asiaticum, utrosque Viennenses. Deinde Senatorum interpellatione a diverticulis in viam reductus, ubi Allobroges, atque adeo extra Galliam Narbonensem Lugdunum iam senatores Romam mittere commemoravit, tandem aliquando per tot ambages causam Comatae Galliae agendam ita adgreditur, ut eos ob bella cum Romanis olim gesta excuset, et fidem eorum tam diuturnam et firmam erga Romanos dilaudet, quam Druso quoque (Principis Patri), censum per Galliam agenti praestiterint. Cuius census mentio ansam praebet, ut suam ipsius Censuram commemoret. Atque hoc ipso loco haec altera columna clauditur. Vides igitur haud pauca desiderari, quae superiori parte harum binarum columnarum et aliis praeter eas tabulis, continerentur.

Apud Tacitum (Annal. XI. 24) Claudius a maioribus suis orsus demonstrat, semper ita factum esse, ut terminis imperii propagatis peregrini in Senatorum numerum acciri solerent, quod accuratiore enumeratione persequitur et salutari consilio institutum probat. Excusat deinde Gallos ob bella contra Romanos antiquo tempore suscepta; laudat continuam fidem et pacem post haec bella servatam. Postremum novae rei invidiam deprecatur exemplis ex antiquitate petitis.

Ex hac duarum orationum collatione satis clare apparet, haud parum unam ab altera recedere; singula persequi non vacat, sed potiora exponam. Primum igitur Tacitus ea sententia, id est, novitatis rei excusatione, orationem claudit, a qua authentica Principis oratio incipit. Contra senatorum exempla e peregrinis accitorum, quae Tacitus in priori orationis parte proponit, in lugdunensi monumento, si receptum tabularum sive columnarum ordinem sequimur, in posteriore orationis parte afferuntur. Sed etiamsi Tacitus addendo, demendo, refingendo Principis non elegantissimi iudicii orationem limaverit, nescio an non eius ordinem plane invertere voluerit. Iam vero hae tabulae aeneae numeros insculptos non habent, qualibus singulae eiusdem instrumentorum tabulae nonnunquam insigniri solebant, ut videre licet in reliqua Tabula Heracleensi numerum III. prae se ferente. Quapropter suspicor tabulam lugdunensem, quae priorem locum in omnibus libris obtinet, posteriori loco ponendam esse, et rursus alteram tabulam priorem habendam. Quod si admiserimus hac quidem parte dissensus inter Taciti orationem et hanc germanam Claudianam tolletur [1]. Quae autem Tacitus de Atto Clauso habet et de iure honorum paulatim Italicis populis et parti Galliarum concesso, ea cum tabulae superiori parte interciderunt, aut alia tabula continuit. Nec minus alia quaedam quae in brevius contracta Tacitus coniungit, in nostra tabula

[1]) Tabularum binarum vel potius columnarum ordo, qualem editiones monumenti exhibent recte habet, ut externam fragmentorum binorum speciem intuenti nunc denuo conglutinatorum continuo apparet.

desiderata, per unam alteramve tabulam amissas sparsa fuisse coniicias. Neque vero transposuit solum Tacitus sed plura praecidit, quae Princeps superflua vel inepta addiderat, ut longam illam novarum rerum enumerationem, quae diverso tempore in rem publicam introductae essent, et familiarium cum eorum liberis nimium quantum alieno loco interpositas commendationes. Ceterum hoc exemplo clare elucet (et vel hanc ob causam haec tabula notabilis) quam rationem Tacitus in orationibus, quas operibus suis inclusit, componendis secutus sit; nempe eam, quae omnino antiquis rerum scriptoribus placuit, tabularum et monumentorum parum curiosis et qui orationes potius ad elegantiae sensum et ex convenientiae iudicio libere effingerent, quam accuratam in conquirendo et describendo diligentiam adhiberent. In tota autem hac tabulae cum oratione Tacitea compositione, persuasum habuimus, utriusque orationis, etsi tractatione diversae, eandem esse occasionem, idem argumentum. Atque hoc ita esse, res ipsa loquitur et omnes qui hoc monumentum ediderunt aut adhibuerunt sine ulla dubitatione statuunt, praeter unum Menestrier (l. l. pag. 104 et 108), qui etsi omnibus idoneis argumentis destitutus asseverat, hanc tabulam plane aliam orationem Claudii continere occasione et argumento diversam, quam quae apud Tacitum legatur: hanc enim in Aeduorum gratiam, ut ius honorum adipiscerentur, habitam esse; sed orationem tabula aenea consignatam Principem in Senatu alia occasione habuisse, cum Lugdunum de municipio ut colonia fieret suaderet. Quae opinio cuique tabulam cum Taciti loco vel obiter comparanti continuo falsa apparebit, ut

pluribus eam rationibus refellere supersedeam. Satis est meminisse argumenti orationis in Columna II. v. 31. haud obscure indicati his verbis: „Sed destricte Comatae Galliae causa agenda est;“ ut reliquas rationes omittam, quibus omnis de ea re dubitatio siquam quis habeat, tolli possit.

Restat, ut de facultate oratoria Claudii exponamus, quae qualis nobis videatur, iam in Tacitea oratione cum his lugdunensis monumenti reliquiis conferenda modo significavimus. Sed ne ex uno specimine de Principe oratore iniuste iudicemus, circumspiciamus veterum scriptorum testimonia. Atque in hac quidem causa locupletem testem habemus Tacitum, qui loco satis memorabili (Annal. XIII. 3) adnotat, Neronem primum ex iis qui Romae rerum potiti essent, alienae facundiae eguisse, et deinceps Principum inde ab Augusto singulorum facultatem oratoriam brevi adumbratione exprimit. Ibi igitur de Claudio, qui seriem Principum sua facundia utentium claudit, hoc iudicium fert: „Nec in Claudio, quotiens meditata dissereret, elegantiam requireres.“ Eis certe quidem adminiculis ad artem oratoriam, quae rerum cognitione et studio literarum continentur, non caruit Claudius. Quin constat eum non pauca opera historica condidisse latine et graece, ut commentarios de sua vita, historiarum rerum romanarum libros inde ab Augusti principatu, Ciceronis Defensionem, (Sueton. Claud. c. 41) *Τυρρηνικὰ* et *Καρχηδονιακά*, (Ibid. cap. 42) quae quidem postrema scripta, eruditionem antiquariam et sedulitatem in reconditis rebus investigandis, qua delectabatur, satis exercuerint: de eius studio grammatices iam supra

locuti sumus. Nec minus iis exercitationibus operam dederat, quibus prima aetas ad artem oratoriam apud veteres formari solebat, et quidem non sine aliquo profectu, quod ex epistolis Augusti ad Liviam apparet, quas Suetonius nobis servavit, quibus nihil melius Claudii indolem repraesentat (Claud. cap. 4), ubi haec in epistola tertia leguntur: „Tiberium nepotem tuum placere mihi declamantem potuisse, peream, nisi, mea Livia, admiror. Nam qui tam ἀσαφῶς loquatur, qui possit, quum declamat, σαφῶς dicere, quae dicenda sunt, non video.“ Verum haec omnia ut eum adiuvabant in orationibus meditandis et quadam eruditionis specie circumdandis, ita bonum oratorem efficere non potuerunt, cui ante omnia opus est sana mente, iudicio sensuque recto. Sed his ipsis virtutibus ingenium Claudii mirum in modum caruisse constat, utpote turbatum, confusum, ineptum, inaequale, denique plane tale, quale Theophrastus (Character. cap. XIV.) sub ἀναισθησίας nomine tam vivide depingit. Vid. Sueton. in Claud. cap. 39. 40. Iam eorum, omnium, quae Claudianae indolis propria esse rerum scriptores tradunt, insignia documenta in hac ipsa oratione deprehendimus. Doctum ibi se praebet et antiquarum rerum curiose peritum, sed abutitur eruditione et alieno loco eam iactat; orationis elegantiam non desideres, sed orator tam multa miscet a causa plane aliena, per tot ambages repit, ut vel servilem Senatorum suorum patientiam fatiget. Quapropter, etiamsi aliunde auctorem orationis nesciremus, germanum Claudianae doctrinae specimen facile agnosceremus. Etiam pronunciationis modum, quo in hac oratione habenda usus fuerit, nobis

quodam modo informare possumus; quanquam in hac oratoris effigie exprimenda diutius occupari, non admodum iuvat. Dio enim Cassius (Lib. LX. c. 2. pag. 939. Ed. Reimar.) ita tradit: „ob corpus morbis obnoxium et quoniam tremore capitis et manuum laboraret, voce quoque hinc male affecta, non omnia ipsum sua voce pronuntiasse, de quibus in Senatu referret, sed recitanda fere quaestori dedisse; quae vero ipsemet pronuntiaret, ea sedentem plerumque recitasse.“ Iam ut hanc adumbrationem colorum flore ornes, adde, quod ei Iuvenalis (Sat. VI. 620) tribuit: „tremulum caput... et longa manantia labra saliva;“ et vocem, qualem eius Seneca (Apocolocynthos. p. 820. Lips. IV.) describit „nullius terrestris animalis, sed qualis esse marinis belluis soleat raucam et implicatam.“ Sed hunc personatum Stoicum non dimittamus, quin foedi adulationis criminis manifestum accusemus. Nam qui Claudium defunctum ita traducit, idem de vivo in Consolatione ad Polybium (cap. 33), Claudii libertum, qui fratrem morte sibi ereptum lugeret, non erubuit inter alias adulatorias delicias quas facit, Claudii „assuetam facundiam“ dilaudare, „qua omnium sapientium praecepta Polybio explicuerit.“

Columna I.

MAE. RERVM. NOSTR. . . . SII . . . . . |
EQVIDEM. PRIMAM. OMNIVM. ILLAM. COGITATIONEM. HOMINVM. QVAM | MAXIME. PRIMAM. OCCVRSVRAM. MIHI. PROVIDEO. DEPRECOR. NE | QVASI. NOVAM. ISTAM. REM. INTRODUCI. EXHORRESCATIS. SED. ILLA | POTIVS. COGITETIS. QVAM. MVLTA. IN. HAC. CIVITATE. NOVATA. SINT. ET | QVIDEM. STATIM. AB. ORIGINE. VRBIS NOSTRAE. IN. QUOD. FORMAS | STATVSQUE. RES. P. NOSTRA. DIDVCTA. SIT |

QVONDAM. REGES. HANC. TENVERE. VRBEM. NEC. TAMEN. DOMESTICIS. SVCCES | SORIBVS. EAM. TRADERE. CONTIGIT. SVPERVENERE. ALIENI. ET. QVIDAM. EXTER | NI. VT. NVMA. ROMULO. SUCCESSERIT. EX. SABINIS. VENIENS. VICINVS. QVI | DEM. SED. TVNC. EXTERNVS. VT. ANCO. MARCIO. PRISCVS. TARQVINIVS | PROPTER. TEMERATVM. SANGUINEM. QVOD. PATRE. DEMARATHO. CO | RINTHIO. NATVS. ERAT. ET. TARQVINIENSI. MATRE. GENEROSA. SED. INOPI | VT. QUAE. TALI. MARITO. NECESSE. HABVERIT. SVCCVMBERE. CVM. DOMI. RE | PELLERETVR. A. GERENDIS. HONORIBVS. POSTQVAM. ROMAM. MIGRAVIT | REGNVM. ADEPTVS. EST. HVIC. QVOQVE. ET. FILIO. NEPOTIVE. EIVS. NAM. ET | HOC. INTER. AVCTORES. DISCREPAT. INSERTVS. SERVIVS. TVLLIVS. SI. NOSTROS | SEQUIMVR. CAPTIVA. NATVS. OCRESIA. SI. TVSCOS. CAELI. QVONDAM. VI | VENNAE. SODALIS. FIDELISSIMUS. OMNISQVE. EIVS. CASVS. COMES. POST | QVAM. VARIA. FORTVNA. EXACTVS. CVM. OMNIBUS. RELIQUIS. CAELIANI | EXERCITVS. ETRVRIA. EXCESSIT. MONTEM. CÆLIVM. OCCVPAVIT. ET. A. DVCE. SVO | CÆLIO. ITA. APPELLITATVS. MVTATOQVE. NOMINE. NAM. TVSCE. MASTARNA | EI. NOMEN. ERAT. ITA. APPELLATVS. EST. VT. DIXI. ET. REGNVM. SVMMA. CVM. REI | P. VTILITATE. OPTINVIT. DEINDE POSTQVAM. TARQVINI. SVPERBI. MORES. IN | VISI. CIVITATI. NOSTRÆ. ESSE. CŒPERVNT. QVA. IPSIVS. QVA. FILIORVM. EIVS | NEMPE. PERTÆSVM. EST. MENTES. REGNI. ET. AD. CONSVLES. ANNVOS. MAGIS | TRATVS. ADMINISTRATIO. REIP. TRANSLATA. EST. |

QVID. NVNC. COMMEMOREM. DICTATVRÆ. HOC. IPSO. CONSVLARI. IMPE | RIVM. VALENTIVS. REPERTVM. APVD. MAIORES. NOSTROS. QVO. IN. AS | PERIORIBUS. BELLIS. AVT. IN CIVILI. MOTV. DIFFICILIORE. VTERENTVR | AVT. IN. AVXILIVM. PLEBIS. CREATOS. TRIBVNOS. PLEBEI. QVID. A. CONSV | LIBVS. AD. DECEMVIROS. TRANSLATVM. IMPERIVM. SOLVTOQVE. POSTEA | DECEMVIRALI. REGNO. AD. CONSVLES. RVSVS. REDITVM. QVID. IM . . . . V | RIS. DISTRIBVTVM. CONSVLARE. IMPERIVM. TRIBVNOSQVE. MILITVM |

CONSVLARI. IMPERIO. APPELLATOS. QVI. SENI. ET. SÆPE. OCTONI. CREAREN | TVR. QVID. COMMVNICATOS. POSTREMO. CVM. PLEBE. HONORES. NON. IMPERI | SOLVM. SED. SACERDOTIORUM. QVOQVE. IAM. SI. NARREM. BELLA. A. QVIBVS | COEPERINT. MAIORES. NOSTRI. ET. QVO. PROCESSERIMVS. VEREOR. NE. NIMIS | INSOLENTIOR. ESSE. VIDEAR. ET. QVÆSISSE. IACTATIONEM. GLORIÆ. PRO | LATI. IMPERI. VLTRA. OCEANVM. SED. ILLOC. POTIVS. REVERTAR. CIVITAT.

Columna II.

. . . . . ESI. SANE | . . . . NOV
. . . . DIVVS. AVG. . . . . NO . . . . LVS. ET. PATRVVS.
TI | CÆSAR. OMNEM. FLOREM. VBIQVE. COLONIARUM.
AC. MUNICIPIORVM. BO | NORVM. SCILICET. VIRORVM.
ET. LOCVPLETIUM. IN. HAC. CVRIA. ESSE. VOLVIT |
QVID. ERGO. NON. ITALICVS. SENATOR. PROVINCIALI.
POTIOR. EST. IAM | VOBIS. CVM. HANC. PARTEM.
CENSVRÆ. MEÆ. APPROBARE. COEPERO. QVID | DE.
EA. RE. SENTIAM. REBVS. OSTENDAM. SED. NE. PRO-
VINCIALES. QVIDEM | SI. MODO. ORNARE. CVRIAM.
POTERINT. REIICIENDOS. PVTO |
ORNATISSIMA. ECCE. COLONIA. VALENTISSIMAQVE.
VIENNENSIVM. QVAM | LONGO. IAM. TEMPORE. SENATORES. HVIC. CVRIÆ. CONFERT. EX QVA COLO | NIA.
INTER. PAVCOS. EQVESTRIS. ORDINIS. ORNAMENTVM.
L. VESTINVM. FA | MILIARISSIME. DILIGO. ET. HODIEQVE.
IN. REBVS. MEIS. DETINEO. CVIVS. LIBE | RI. FRVANTVR.
QVÆSO. PRIMO. SACERDOTIORVM. GRADV. POST. MODO.
CVM | ANNIS. PROMOTVRI. DIGNITATIS. SVÆ. INCREMENTA. VT. DIRVM. NOMEN. LA | TRONIS. TACEAM. ET.
ODI. ILLVD. PALESTRICVM. PRODIGIVM. QVOD. ANTE. IN.
DO | MVM. CONSVLATVM. INTVLIT. QVAM. COLONIA.
SVA. SOLIDVM. CIVITATIS. ROMA | NÆ. BENIFICIVM.
CONSECVTA. EST. IDEM. DE. FRATRE. EIVS. POSSVM.
DICERE | MISERABILI. QVIDEM. INDIGNISSIMOQVE.
HOC. CASV. VT. VOBIS. VTILIS | SENATOR. ESSE.
NON. POSSIT. |
TEMPVS. EST. IAM. TI. CÆSAR. GERMANICE. DETEGERE.

TE. PATRIBVS. CONSCRIPTIS | QVO. TENDAT. ORATIO. TVA. IAM. ENIM. AD. EXTREMOS. FINES. GALLIÆ. NAR | BONENSIS. VENISTI. |
TOT. ECCE. INSIGNES. IVVENES. QVOT. INTUEOR. NON. MAGIS. SVNT. PÆNITENDI | SENATORES. QVAM. PÆNITET. PERSICVM. NOBILISSIMVM. VIRVM. AMI | CVM. MEVM. INTER. IMAGINES. MAIORVM. SVORVM. ALLOBROGICI. NO | MEN. LEGERE. QVOD. SI. HÆC. ITA. ESSE. CONSENTITIS. QVID. VLTRA. DESIDERA | TIS. QVAM. VT. VOBIS. DIGITO. DEMONSTREM. SOLVM. IPSVM. ULTRA. FINES | PROVINCIÆ. NARBONENSIS. IAM. VOBIS. SENATORES. MITTERE. QVANDO | EX. LVGDVNO. HABERE. NOS. NOSTRI. ORDINIS. VIROS. NON. PÆNITET | TIMIDE. QVIDEM. P. C. EGRESSVS. ADSVETOS. FAMILIARESQVE. VOBIS. PRO | VINCIARVM. TERMINOS. SVM. SED. DESTRICTE. IAM. COMATÆ GALLIÆ | CAVSA. AGENDA. EST. IN. QVA. SI. QVIS. HOC. INTVETVR. QVOD. BELLO. PER. DE | CEM. ANNOS. EXERCVERVNT. DIVOM. IVLIVM. IDEM. OPPONAT. CENTVM | ANNORVM. IMMOBILEM. FIDEM. OBSEQVIVMQVE. MVLTIS. TREPIDIS. RE | BVS. NOSTRIS. PLVSQVAM. EXPERTVM. ILLI. PATRI. MEO. DRVSO. GERMANIAM | SVBIGENTI. TVTAM. QVIETE. SVA. SECVRAMQVE. A. TERGO. PACEM. PRÆS | TITERVNT. ET. QVIDEM. CVM. AD. CENSVS. NOVO. TVM. OPERE ET INADSVE | TO. GALLIS. AD. BELLVM. AVOCATVS. ESSET. QVOD. OPVS QVAM. AR | DVVM. SIT. NOBIS. NVNC. CVM. MAXIME. QVAMVIS. NIHIL. VLTRA. QVAM | VT. PVBLICE. NOTÆ. SINT. FACVLTATES. NOSTRÆ. EXQVIRATVR. NIMIS | MAGNO. EXPERIMENTO. COGNOSCIMUS.

Columna I.

mae rerum nostr. . . . sii . . . . . Equidem primam omnium illam cogitationem hominum, quam maxime primam occursuram mihi provideo, deprecor, ne quasi novam istam rem introduci exhorrescatis; sed illa potius

cogitetis, quam multa in hac civitate novata sint, et quidem statim ab origine urbis nostrae in quot formas statusque res publica nostra diducta sit. Quondam reges hanc tenuere urbem; nec tamen domesticis successoribus eam tradere contigit. Supervenere alieni et quidam externi, ut Numa Romulo successerit ex Sabinis veniens, vicinus quidem sed tunc externus, ut Anco Marcio Priscus Tarquinius. Propter temeratum sanguinem, quod patre Demaratho corinthio natus erat et tarquiniensi matre generosa sed inopi (ut quae tali marito necesse habuerit succumbere), cum domi repelleretur a gerendis honoribus, postquam Romam migravit, regnum adeptus est. Huic quoque et filio nepotive eius (nam et hoc inter auctores discrepat) insertus Servius Tullius, si nostros sequimur, captiva natus Ocresia; si Tuscos Caeli quondam Vivennae sodalis fidelissimus omnisque eius casus comes. Postquam varia fortuna exactus cum omnibus reliquiis caeliani exercitus Etruria excessit montem caelium occupavit et a duce suo Caelio ita appellitatus, mutatoque nomine (nam tusce Mastarna ei nomen erat) ita appellatus est ut dixi, et regnum summa cum rei publicae utilitate optinuit. Deinde postquam Tarquinii superbi mores invisi civitati nostrae esse coeperunt qua ipsius qua filiorum eius: nempe pertaesum est mentes regni et ad consules, annuos magistratus, administratio reip, translata est. Quid nunc commemorem dictaturae hoc ipso consulari imperium valentius repertum apud maiores nostros quo in asperioribus bellis aut in civili motu difficiliore uterentur; aut in auxilium plebis creatos tribunos plebei? Quid a consulibus ad decemviros translatum imperium solutoque postea decemvirali regno ad

consules rursus reditum? Quid inter pluris distributum consulare imperium, tribunosque militum consulari imperio appellatos, qui seni et saepe octoni crearentur? Quid communicatos postremo cum plebe honores non imperi solum sed sacerdotiorum quoque? Iam si narrem bella a quibus coeperint maiores nostri et quo processerimus, vereor ne nimis insolentior esse videar et quaesisse iactationem gloriae prolati imperii ultra oceanum. Sed illuc potius revertar: civitatem . . . .

Columna II.

. . . . . esi. sane . . . . novo . . . . diuus Aug. . . . . no . . . . lus et patruus Tiberius Caesar omnem florem ubique coloniarum ac municipiorum bonorum scilicet virorum et locupletium in hac curia esse voluit. Quid ergo? Non italicus senator provinciali potior est? Iam vobis cum hanc partem censurae meae approbare coepero, quid de ea re sentiam rebus ostendam. Sed ne provinciales quidem si modo ornare curiam poterint reiiciendos puto. Ornatissima ecce colonia valentissimaque Viennensium quam longo iam tempore senatores huic curiae confert. Ex qua colonia inter paucos equestris ordinis ornamentum L. Vestinum familiarissime diligo et hodieque in rebus meis detineo. Cuius liberi fruantur quaeso primo sacerdotiorum gradu post modo cum annis promoturi dignitatis suae incrementa. Ut dirum nomen latronis taceam; et odi illud palestricum prodigium quod ante in domum consulatum intulit, quam colonia sua solidum civitatis romanae beneficium consecuta est. Idem de fratre eius possum dicere miserabili quidem indignissimoque hoc casu ut vobis utilis senator

esse non possit. — (Tempus est iam Tiberi Caesar Germanice, detegere te patribus conscriptis quo tendat oratio tua: iam enim ad extremos fines Galliae narbonensis venisti.) — Tot ecce insignes iuvenes quot intueor non magis sunt paenitendi senatores quam paenitet Persicum nobilissimum virum, amicum meum, inter imagines maiorum suorum Allobrogici nomen legere. Quod si haec ita esse consentitis, quid ultra desideratis quam ut vobis digito demonstrem solum ipsum ultra fines provinciae narbonensis iam vobis senatores mittere, quando ex Luguduno habere nos nostri ordinis viros non paenitet. Timide quidem P. C. egressus adsuetos familiaresque vobis provinciarum terminos sum; sed destricte iam comatae Galliae causa agenda est. In qua si quis hoc intuetur quod bello per decem annos exercuerint divum Iulium, idem opponat centum annorum immobilem fidem obsequiumque multis trepidis rebus nostris plusquam expertum. Illi patri meo Druso Germaniam subigenti tutam quiete sua securamque a tergo pacem praestiterunt, et quidem cum a census novo tum opere et inadsueto Galliis ad bellum avocatus esset. Quod opus quam arduum sit nobis nunc cum maxime, quamvis nihil ultra quam ut publicae notae sint facultates nostrae exquiratur, nimis magno experimento agnoscimus.

Adnotatio.

Ad Columnam I.

V. 1. Sponius in hoc versu nihil dat nisi syllabam SI.

V. 6. Omnes *quod* ut procul dubio in aere hoc vitium appareat.

V. 7. *nec* unus Sponius; reliqui *ne*, quod manifestum vitium est, sive a scalptore sive ab editoribus profectum.

V. 12. *Demarato* omnes exhibent, nisi quod Sponius recte *Demaratho*, cum alias plerumque *Damaratus* usurpetur. Eadem nominis forma (*Δημαρατος*) apud Dionys. Hal. III. 46. Ceterum addendus est hic locus eorum scriptorum locis, qui Tarquinium regem Demarati Corinthii filium esse tradiderunt, quod quidem contra fidem antiquissimorum rei romanae monumentorum fieri suspicatur Niebuhr (Histor. roman. T. I. p. 367. 389), atque C. O. Mueller (Etrusker Tom. I. p. 194) primitus non in italicarum rerum memoria sed Corinthiarum traditum fuisse arbitratur. Claudium h. l. Etruscorum monumentorum in hac re vel famam vel fidem secutum esse, vix est quod dubitemus, quorum tam curiosus et peritus esset. Idem fecisse videtur Dionysius Halicarnassensis, qui quum *γραφὰς ἐπιχωρίας* se in historia Demarati et Tarquinii enarranda sequi profitetur, vix alias quam Etruscas significasse putandus est; quae quidem et Wachsmuthii est sententia (Die ältere Geschichte des röm. Staates pag. 155). Matrem Tarquinii generosae stirpis fuisse Dionysius quoque Halicarnassensis tradit (III. 46); eandem nonnisi inopia coactam peregrino marito nupsisse nonnisi Claudius, quantum scio, auctor est. Quod sanguinem Tarquinii temeratum dicit, eius rei peregrinitas neque mercatorius quaestus patris in causa est, cum Etrusci et ipsi mercaturam exercerent. Quantopere iidem gentium nobilitatem et incorruptum

stemmatum ordinem respexeriut, satis constat. (Cf. C. F. Mueller Etrusker. Tom. I. p. 402.)

V. 16. *Filio nepotive eius)* Annalium scriptores excepto Pisone, Cicero, Livius Tarquinium Superbum Tarquinii Prisci filium, Piso eumque secutus Dionysius Halicarnassensis nepotem perhibent. V. de hac controversia accuratissime disputantem Niebuhrium Hist. Roman. T. I. p. 384 seqq. Notabilis est h. l. usus verbi *discrepat*, impersonaliter usurpati, ut apud Suetonium in Claud. cap. 44. „Et veneno quidem occisum (i. e. Claudium) convenit; ubi autem et per quem dato, *discrepat*."

V. 18. *Captiva natus Ocresia)* Cf. Dionys. Halicarn. IV. 1. ubi nominis scriptio paulo differt: est enim Ὀκρισία. — Quod mox ex Etruscis fontibus affertur de Servii Tullii origine, nomine, cum Caelio Vibenna, etrusco duce, sodalitio, eiusque adventu, perquam memorabile est, neque usquam alias ita diserto traditur. Niebuhrius (Röm. Geschichte T. I. pag. 393) denuo nostra aetate hunc nostrum locum indigitavit, a rerum scriptoribus fere neglectum, etsi iam a Lipsio ad Taciti Annal. IV. 65. prolatum cum aliis veterum locis, qui etsi diversa de Caelio Vibenna perhibent, in eo tamen consentiunt, ut omnes montem Caelium urbis inde nomen traxisse tradant. Cf. omnino de hac re Niebuhrium l. l. et C. O. Mueller Etrusker T. I. p. 117. Nomen ducis illius etrusci varie scribitur, modo *Caelius* modo *Caeles*, etiam *Coelius*, *Vibenna*, *Vibennus*, *Vivenna*. Nostro loco primum in priori nomine diphthongus *ae* usurpatur, quae scribendi ratio alteri praeferenda (Niebuhr. p. 394. Not. 62), deinde est *Caelius* non

Caeles. Nam quod NIEBUHRIUS (p. 339. Not. 58) suspicatur genitivum *Caeli* vers 18 antiqua forma poni, ut *Perses*, *Persi*, a CLAUDIO antiquitatis amatore eodemque pertinere literam I in fine vocabuli non longiore ductu aucta sed mensura solita sculptam: hoc mihi secus esse videtur. Mox enim *vers* 22 est *Caelio:* tum illud inter I. simplex et duplicatum discrimen in hac tabula nulla ratione certa observatur. In monumentis Etruscorum sepulcralibus Volsiniensibus occurrunt *Vibennii* (Adami Storia T. II. p. 166) eiusdem, ut MUELLERUS coniicit, gentis, unde Caeles Vibenna Volsinii oriundus; occurrit ibidem haud semel nomen etruscum *Fipi*, quae prima eius vocabuli forma videtur (C. O. MUELLER Etrusker T. I. p. 424). Nomen etruscum *Mastarnae* praeter hunc locum nusquam adhuc apparuit; quantum equidem colligo ex indice amplissimo nominum etruscorum a MUELLERO concinnato. (Etrusker T. I. p. 407 seqq.) Plurima tamen habentur nomina desinentia in *na*, (Caecinna, Spurinna, Peperna, alia), quae quidem utrum cum NIEBUHRIO (p. 393. Not. 58) pro nominibus gentilibus habenda, an MUELLERO auctore (l. l. p. 438) nomina gentilitia Etruscis omnino abiudicanda sint, in medio relinquam.

V. 20. *Reliquis* SPON. et MENESTRIER, simplici litera I. Lipsius: *Reliquiis.*

V. 22. *Appellitatus* omnia exemplaria habent, ut vitium non transscribentium sed scalptoris oscitantiae debeatur: nam esse debebat *appellitavit*, ut iam NIEBUHRIUS monuit (l. l. p. 393. Not. 59).

V. 24. *Optinuit)* eodem modo *Optenui* est in titulo sepulcrali Cn. Scipionis Hispani (Orelli. N. 554); quan-

quam literarum p et b permutationem in permultis vocibus inscriptiones exhibent. (V. Index Thesaur. Gruter.)

V. 26. Pro *mentes* Graevius in Thes. Gruter. coniicit *omnes;* citra necessitatem.

V. 33. Lipsius: *QVID. IMP . . . . VRIS.* Sed cum neque Sponius neque Menestrier literam P addant, omisi. In promtu est coniicere cum Niebuhrio (Röm. Gesch. T. II. p. 171. Not. 84. Ed. I.). *Quid inter pluris distributum consulare imperium etc.*

V. 34. *Tribunosque militum)* Haubold vitiose omittit *que.*

V. 35. *Qui seni et saepe octoni crearentur).* In numero Tribunorum consulari potestate definiendo sequitur Imperator eosdem ut videtur fontes, quos Dionysius Halicarnassensis. Nam apud eum et Appius Claudius, primus legis auctor, octonos vel senos creandos proponit (XI. 56. p. 2293. Ed. Reisk.) et secundum hanc Appii Claudii sententiam seni Tribuni militares creati traduntur (XI. 60. p. 2303). Post aliquod tempus, anno U. C. 352. si Livio (V. 1) fides habetur, octo creati. Consulendus omnino de hac in numero Tribunorum consularium tradendo apud veteres auctores discrepantia Niebuhrius (Röm. Gesch. T. II. p. 171. Ed. I.), qui quidem in hac re et hoc nostro loco utitur eiusque auctoritatem sequitur.

V. 40. *Prolati imperii ultra oceanum.)* Significat Britanniam a se romano imperio adiectam, indeque pomoerium urbis auctum „more prisco, quo iis qui protulere imperium etiam terminos urbis propagare datur.“ V. Tacit. Annal. XI. 23. Testis eius rei etiam lapis

Claudiani aevi apud Gruterum in Thesaur. p. 196. Orelli Inscript. Collectio. Tom. I. N. 710.

V. 40. *Illoc* pro *illuc* omnia exemplaria; quanquam Menestrier hunc in modum: ILLO. C. POTIUS.

Ad Columnam II.

V. 2. Vocabulum NOVO apud Sponium deest. Ceterum hoc loco, quantum e verborum vestigiis et sententiarum nexu coniicere licet, de ratione Imperator disseruit, quam Augustus in legendo senatu secutus est provinciales non spernens; neque minus fortasse Iulii Caesaris ea in re auctoritatem adhibuit. Nam Iulius Caesar in senatoribus legendis tantum aberat, ut provinciales reiiceret, ut in senatum plurimos quamvis indignos admitteret (Dio Cass. XLIII. 47. p. 347). De Gallis diserte Suetonius tradit (Iul. Caes. cap. 76. coll. cap. 80): „civitate donatos et quosdam e semibarbaris Gallorum recepit in curiam.“ Augustus senatum ut numero nimium quantum auctum (erant enim super mille senatores) ita dignitate carentem ad decus pristinum reducere studuit. (Sueton. Octavian. cap. 35). Senatum ter legit, cuius rei ipse auctor habetur in Monumento Ancyrano Tab. II. v. 1. quod triplex senatus legendi munus etiam apud Dionem Cassium accuratius consideranti apparet. Cf. LII. 42. p. 692. LIV. 13. p. 743 atque 14. pag. ead. Iam in his lectionibus eum non legimus solos urbis alumnos, solos Italicos, sed dignissimum quemque delegisse. Atque hoc ipsum, ut videtur, Claudius h. l. significaverat. Cum iterum senatum legeret, singularem et tum novam, ut videtur,

viam ingressus est, ut partem senatorum ipse legeret, alteram sorte, tertiam ab aliis senatoribus legi iuberet. Atque eo fortasse pertinet vocabulum *novo* vers 2. — Quod deinde CLAUDIUS dicit Tiberium Caesarem, patruum suum, ubique e coloniis et municipiis optimos quosque et ditissimos in senatu esse voluisse, nihil apud rerum scriptores ad hanc sententiam firmandam adhuc reperi. Quanquam eo fortasse pertinet, quod Tiberius quorundam senatorum pauperiorum census iuvisse narratur (TACIT. Annal. II. 37) inter quos, ut suspicari licet, non solum urbanorum atque adeo Italicorum. Ceterum MENESTRIERII pag. 98 manifestus error est hunc locum ita explicantis, quasi vero ibidem de Lugduno nominatim sermo esset, atque diserte CLAUDIUS diceret, iam Tiberium primores Lugduni in senatum recepisse; quod ex hoc certe quidem loco concludi nequit.

V. 6. *Censurae)* Qui ante CLAUDIUM principes fuerunt censorii muneris iura et dignitatem tenuerunt neque vero assumserunt nomen praeterquam in ipso censu agendo (V. DIO. CASS. LIII. p. 714 ibique REIMAR.). CLAUDIUS censoris nomen non sprevit; quapropter censuram gessisse a SUETONIO dicitur (in CLAUD. cap. 16) intermissam diu post Plancium Paullumque Censores (a. U. 731). Quam inepte et ridicule haud una in re censura functus sit, SUETONIUS l. l. narrat. Collegam in censura habuit Vitellium, ut colligi licet e TACITI Annal. XII. 4. Duae in hac oratione censorii muneris sui partes commemorantur a CLAUDIO, lustrum (infra v. 41) et senatus lectio. De lustro iam ante quam hanc orationem haberet condito, infra videbimus. Senatus

lectionem, quam hoc loco a se habendam significat Princeps, paulo post hanc orationem Principis factam esse, apparet e Taciti Annal. XII. 4. Ibi enim quum narrat quibus Agrippinae artibus Silanus, cui Octavia, Claudii filia desponsa erat, Vitellio subministrante circumventus sit, legimus: „Silanus, repente per edictum Vitellii ordine Senatorio movetur, quanquam lecto pridem Senatu, lustroque condito.“ Iam haec Silani clades in annum U. C. 802 (49 p. Ch.) incidit; haec oratio a Claudio habita est anno proxime praecedente (801 U. C.). Hoc eo magis tenendum est, quia Tacitus Annal. XI. 25. in fine, lustrum conditum inverso ordine post Senatus lectionem commemoratam indicat. Nam ad hanc ipsam senatus lectionem procul dubio pertinent, quae ex eo loco transcripta infra addere placuit: „Famosos probris quonam modo senatu depelleret anxius, mitem et recens repertam, quam ex severitate prisca, rationem adhibuit, monendo, secum quisque de se consultaret, peteretque ius exuendi ordinis, facilem eius rei veniam, et motos senatu et excusatos simul propositurum, ut iudicium censorum ac pudor sponte cedentium permixti ignominiam mollirent. Ob ea Vipstanus consul retulit patrem senatus adpellandum esse Claudium: quippe promiscuum patris patriae cognomentum; nova in rem publicam merita non usitatis vocabulis honoranda; sed ipse cohibuit consulem ut nimium adsentantem.“ Neque minus ad eandem Censurae Claudianae partem spectat alter locus Annalium XII. 52. „Laudati dehinc oratione Principis, qui ob angustias familiares ordine Senatorio sponte cederent; motique, qui remanendo impudentiam paupertati adiicerent.“

V. 8. *Reiiciendos)* Menestrier. Sed Spon. *recipiendos* manifesto vitio transcribentis, ut videtur, non scalpentis, cum in Menestrierii exemplari rectius legatur. Sed plerique Sponii vitiosam lectionem propagarunt, ut Lipsius, et Haubold.

V. 9. *Ornatissima . . colonia . . . Viennensium)* Vetustatem dignitatemque huius coloniae etiam Tacitus Histor. I. 66 significat, ut alios serioris aevi auctores taceam, etsi quo tempore et a quibus colonia deducta sit nescitur. Senatores romanos hanc coloniam praebuisse, mirum non est, quippe intra fines Galliae Narbonnensis sitam, quae iam Augusti aetate in omnibus fere cum Italia coaluerat (Plin. Hist. Nat. III. 4). Ceterum duobus annis post, quam Claudius hanc orationem habuit, Tacito auctore (Annal. XII. 23) „Galliae Narbonnensi ob egregiam in patres reverentiam datum, ut senatoribus eius provinciae non exquisita Principis sententia, iure quo Sicilia haberetur, res suas invisere liceret."

V. 11. *L. Vestinum)* Fortasse idem est, in quem plus viginti annis post Vespasianus restituendi capitolii curam contulisse, Tacitus refert, „equestris ordinis virum, sed auctoritate famaque inter proceres." (Histor. IV. 53.) Quod Lipsio videtur ad Taciti l. l. Is Vestinus, quem Martialis IV. 73 ob liberalitatem celebrat in mortis articulo comprobatam, huius Vestini in tabula memorati filius fuerit; etsi nihil certi hac de re afferri potest.

V. 12. *In rebus meis detineo)* Puto haec verba ita intelligenda esse, ut Vestinum Procuratorem Caesaris fuisse credamus, quos potissimum ex ordine equestri,

etiam e libertis sumtos esse constat. Atque cum Claudius Procuratorum suorum potentiam et dignitatem ultra modum Senatus consulto augeri iusserit (Tacit. Annal. XII. 60): minus mirabimur, Vestinum cum filiis tam intempestive hoc loco laudari commendarique.

V. 13. *Primo sacerdotiorum gradu)* Qui sacerdotiorum gradus hic significetur certis argumentis non definierim, etsi tanquam de re communi usu frequentata Princeps loqui videtur. Sacerdotia romana ex ordine, qualem Numa instituit, Dionysius Halicarnassensis (Antiquitatt. Roman. II. 64) recenset octo gradibus distincta. Quem si sequimur, Curionum primum in sacerdotiis gradum fuisse statuemus. Sed nescio, an omnino hic antiquissimus sacerdotiorum ordo non amplius servatus permanserit. Quanquam in titulo sepulcrali in honorem L. Aemilii cuiusdam Narbonensis posito, inter enumeratos honores, quos gessit, quaesturam, primum honorum gradum, proxime praecedit Curionis sacerdotium. Orelli Collectio. N. 2258.

V. 14. *Dirum nomen latronis)* Is, in quem Claudius tam acerbe suppresso nomine invehitur, Valerius Asiaticus est, opibus et fama clarus, qui fraudibus Messalinae Vitellio accusante eversus voluntaria morte magna animi constantia occubuit. (A. U. 800. A. C. 47.) V. Tacit. Annal. XI. 1—4. Dio Cass. LX. 29. p. 966. Viennae eum genitum esse Tacitus l. l. refert, et bis consulem. Iterum Consul fuit A. U. 799 cum M. Silano, (Dio Cass. LX. 27. p. 964). Quo anno primum consulatum gesserit, accurate definiri nequit: consul suffectus tum fuisse videtur, quoniam in fastis nomen eius non reperitur. Sed hoc liquido constat

hunc quidem eius consulatum in tempus regni Caiani vel etiam prius incidere, cum eo tempore, quo Caius occideretur, inter viros consulares esset. (Dio Cass. LIX. 30. p. 937.) „Palaestricum prodigium" a Claudio vocatur, hanc ob causam, ut videtur, quia exercitationibus gymnicis multum delectaretur, iisque excelleret. Illustratur hoc loco Taciti de Valerii morte narratio, qui eum „usurpatis quibus insueverat exercitationibus, lauto corpore, hilare epulatum venas exsolvisse" tradit. Atque rursus Claudium hoc ipsum, quod ne in mortis quidem articulo palaestricas exercitationes infracta pervicacia omiserit, hic significare probabile est. Accedit, quod Valerius Asiaticus, si Senecae fides habenda (De Constantia sapient. cap. 18) omnino ferocioris ingenii fuit.

V. 16. *Quam colonia sua etc.)* Quodnam hoc solidum civitatis romanae beneficium sit, quod Claudius Viennam post consulatum Valerii Asiatici (A. U. C. 799) consecutam dicit, non satis liquido constat. Sed, siquid video, alterutrum fuit, aut ius honorum, quo ante hoc tempus civitas Viennensis, etsi Colonia civium Romanorum (Plin. Hist. Nat. III. 5. p. 147), caruit, aut ius Italicum et speciatim soli immunitas, quo Viennam usam esse scimus ex L. 8. § 1. Dig. De censibus Cf. Savigny Geschichte des röm. Rechtes im Mittelalter Tom. I. p. 53.

V. 17. *De fratre eius)* De hoc Valerii fratre frustra adhuc rerum scriptores evolvi.

V. 20. *Tempus est)* Plane singularis est haec Patrum conscriptorum interpellatio; ita quidem ut primo hunc locum legens, eam non in tabulis reperiri sed a

quodam Claudii ineptias deridente additam esse suspicarer. Sponius et Menestrier difficultatem loci senserunt, neque enodarunt, sed versione plane arbitraria qualicunque via evadere conati sunt. Nam ita vertunt, ut primam verbi personam secundae falso substituant: „Il est maintenant temps, que ie decouvre aux Pères conscripts, a quoi aboutit ma harangue.“ Sed cum omnes, qui de ipsis tabulis instrumentum transscripserunt hac parte consentientes vidissem, nullus est dubitandi locus relictus. Statuendum igitur est, hanc interpellationem, quam hic interpositam legimus, vere factam et in actis Senatus consignatam esse. Inde colligas aut imaginem et umbram antiquae in loquendo libertatis vel hoc tempore nonnumquam apparuisse, aut Patribus Conscriptis quamvis patientibus hanc significationem taedii invitis excidisse. Sed causa, quae Senatores impulerit, non longe quaerenda est, si meminerimus, quam male Claudius gravitatem et auctoritatem imperatoriam tueretur, qua de re Suetonivs insignia haec et iocosa exempla tradit. (Claud. cap. 15.) „Usque eo eviluit, ut passim ac propalam contemptui esset. Excusans quidam testem, e provincia ab eo vocatum, neque praesto esse posse, dissimulata diu causa, ac post longas demum interrogationes, *mortuus est*, inquit; *puto*, *licuit*. Alius gratias agens, quod reum defendi pateretur, adiecit: *Et tamen fieri solet*. Illud quoque a maioribus natu audiebam, adeo caussidicos patientia eius solitos abuti, ut descendentem e tribunali non solum voce revocarent, sed et lacinia togae retenta, interdum pede apprehenso, detinerent. Ac ne cui haec mira sint, litigatori Graeculo vox in alterca-

tione excidit, *Καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός.* Equitem quidem Romanum, obscoenitatis in feminas reum, sed falso, et ab impotentibus inimicis conficto crimine, satis constat, quum scorta meritoria citari adversus se, et audiri pro testimonio videret, graphium et libellos, quos tenebat in manu, ita cum magna stultitiae et saevitiae exprobratione iecisse in faciem eius, ut genam non leviter perstrinxerit."

De nomine *Germanici*, quo Senatores h. l. Claudium appellant V. Sueton. Claud. cap. 2. „Claudius natus est Iulo Antonio, Fabio Africano Coss. . . . . appellatusque Tiberius Claudius Drusus. Mox fratre maiore in Iuliam familiam adoptato, *Germanici* cognomen assumpit."

V. 23. *Insignes iuvenes)* Hos iuvenes senatores, quos in curia praesentes Claudius intuetur, Allobroges vel ex contermina regione fuisse, loci ratio satis clare demonstrat. Sed quisnam Senatores iuvenes appellavit? Res ita se habet. Intelligendi sunt equites, qui ius haberent atque adeo officium senatus frequetandi. Verbo: sunt procul dubio Equites, qui vocabantur, illustres, de quibus docte disputat Lipsius ad Tacit. Annal. XI. 4. praetermittens tamen Dionis Cassii locum eodem pertinentem (Lib. LX. cap. 11. pag. 950), ubi narratur: Claudium Equites quosdam ad tribunatum plebis admisisse, reliquos autem omnes coegisse in senatum, quoties vocarentur, venire.

V. 24. *Persicum)* Est, *Grutero* ad h. l. adnotante *Paulus Fabius Persicus* cum L. Vitellio Consul A. U. 787, cuius memoriam etiam Acta Fratrum Arvalium conservant, quibus adscriptus esset. V. Tab. V. VI.

IX. XI. *Marinius* quoque (Atti dei fratelli arvali p. 44) ut Chr. Baehr, Prof. Univ. Heidelberg. collega coniunctissimus, per literas me docuit, (non enim ad manus erat hic liber) *Marinius* igitur non dubitat, Sacerdotem arvalem eundem esse, quem Claudius hac oratione nobilissimum virum et amicum suum nominet, laudatque Senecam De Benef. IV. 30. unde perspici potest, quam impurus homo et contemptu dignus fuerit, quem Claudius h. l. amicum suum appellare non erubuit. Nomen autem *Allobrogici*, quod Persicus inter imagines maiorum suorum legit, consecutus erat Q. Fabius Maximus Consul ob bellum contra Allobroges bene gestum (Ante Ch. 123 — 121) Cf. Liv. Epitom. Lib. LX. LXI. *Florus* III. 2. *Iul. Caes.* Bell. Gall. I. 45. Eodem pertinet quod *Cicero* in Orat. Pro Fonteio cap. 12. dicit: „M. Fabium . . . rogabimus, ut Allobrogum animos mitiget, quoniam apud illos Fabiorum nomen est amplissimum."

V. 29. *Luguduno)* Ita Sponius; itemque Menestrierius (p. 3) in tabula legi asseverat; quanquam in sua ipsius tabulae editione operarum vitio, *Lugduno* reperitur. Utraque nominis scriptio *Lugudunum* et *Lugdunum* in veteribus monumentis frequentatur. Ex Dionis Cassii sententia *Lugudunum* antiquior forma, *Lugdunum* recentior. Ubi enim retulit Plancum et Lepidum a Senatu iussos esse, Viennensibus, quos Allobroges expulissent, ad confluentes Rhodani Ararisque sedem constituere, ita pergit: *Καὶ ἕως ἐκεῖνοι ὑπομείναντες τὸ Λουγούδουνον μὲν ὀνομασθὲν, νῦν δὲ Λούγδουνον καλούμενον ἔκτισαν.* Quem quidem locum simplici ratione ita intelligendum puto, olim *Lugudunum* urbis nomen

in usu fuisse, nunc vero i. e. Dionis Cassii aetate *Lugdunum*. Sed Menestrier (l. l. pag. 1) contortius ita interpretatur, antiquam urbem, quam Viennenses expulsi novas sedes quaerentes iam eo loco reperissent, *Lugudunum* vocatam esse; sed recentiorem urbem vel urbis partem ab his Viennensibus conditam mutato nomine *Lugdunum* esse appellatam.

V. 29. *Habere nos nostri ordinis viros)* Senatores Romanos, quos Lugdunum curiae hac Claudii aetate vel anteriori contulerit, nondum reperi. Fortasse hoc loco Princeps neminem alium quam se ipsum significat utpote Lugduni natum. (Sueton. Claud. cap. 2.)

V. 31. *Destricte)* id est, expressis verbis, diserte. Eodem sensu apud Plinium Epist. IX. 21, 4. *destricte* minari.

V. 37. *Ad census novo tum opere et inadsueto Galliis ad bellum avocatus esset)* Omnes ediderunt *ad census*, ut tabulae ipsi hoc scribendi vitium assignandum sit. Debebat esse: *a census novo tum opere.* Res a Druso patre gestae, quas filius h. l. significat, incidunt in annum U. C. 741. Censui enim per Gallias agendo Drusus cum intentus esset, ancipiti periculo conflictabatur, et a Gallis censum detrectantibus et a Sigambris aliisque populis Germanis Gallorum vicinis. Sed utrique felici successu occurrit; nam et Gallos res novas molientes mitigavit et Germanos armorum vi compescuit. Quo facto, anno proxime sequenti Romam rediit ibique aedilitatem suscepit. Breviter haec significantur in Epitome Libri CXXXVII. Historiarum Livii: „Civitates Germaniae cis Rhenum et trans Rhenum positae oppugnantur a Druso; et tumultus, qui ob censum exor-

tus in Gallia erat, compositus, ara Caesari ad confluentem Araris et Rhodani dedicata." Uberius narrat Dio Cass. Lib. LIV. 32. p. 762. quo quidem nec minus aliis quibusdam veterum locis usus Freinshemius in Supplementis libri laudati cap. 4—8 narrationem suam concinnavit. Gallis autem eam ob causam census tum novum opus et inadsuetum dicitur, quia, etsi iam Iulius Caesar iis tributum in universum HS quadringenties imposuerat, (Sueton. Iul. Caesar. cap. 25) Augustus demum censum singulorum capitum instituit A. U. C. 727. Dio Cass. Lib. 411. cap. 22. p. 717. Iam si ponimus, quod verisimile est, quinto quoque anno hunc censum repeti solitum esse: utique non inveterata res erat, quum Drusus A. U. 741. censum ageret. Ceterum quidquid de hoc Galliarum censu rerum scriptores tradunt persequi, neque ad hunc locum explicandum necessarium est, neque nunc quidem vacat. Qui accuratius hanc rem cognoscere studet, adeat *Lipsium* in Excursu K. ad Taciti Annal. Lib. I. cap. 31. et *Savignii* commentationem, quae inscribitur: „Ueber die römische Steuerverfassung unter den Kaisern." Abhandlungen der Berliner Akademie. 1822. imprimis pag. 45. Not. 1.

V. 41. *Nimis magno experimento cognoscimus)* Significat Princeps lustrum censura a se suscepta conditum, de quo Tacitus Annal. XI. 25 „Condiditque lustrum, quo censa sunt civium LXIX centena XLIV millia" [1]).

---

[1]) Conf. voluminis *Epimetrum observationum ad Tabulam Claudianam*, in fine huius voluminis additum.

I. B. MONFALCONIO CAROLVS ZELL S. [1]

Qualis sit communio eorum qui iisdem bonis artibus student, etiamsi locorum intervallis seiuncti, id nos uterque, vir ornatissime, invicem experti sumus. Quum tu enim Orationis Claudianae tabulam, praeclarissimum illud Lugdunense Romani aevi monumentum, splendidissimo opere, quod et ipsum luculentissimum est Lugdunensis munificentiae monumentum, illustrasses, ego autem de eadem inscriptione viginti fere abhinc annis commentationem edidissem: haec studiorum societas notitiae alterutrius occasionem, atque adeo necessitudinem quandam nobis conciliavit. Quapropter quum nuper admodum literis ad me datis facultatem peteres, commentationis illius iteratae editioni operis tui inserendae, ego libentissime annui, quum de tuo et popularium tuorum iudicio studiis meis favente valde laetarer, simulque exemplorum penuriam eius commentationis ab aliis haud semel desideratorum hac opportunitate suppleri viderem. Sed iisdem literis ad me

[1] Haec epistola primum publicata est in libro qui inscribitur: *Monographie de la table de Claude par I. B. Monfalcon, publiée au nom de la ville de Lyon. Nouvelle Edition. Paris, Victor Didron.* MDCCCLIII.

datis quum peteres a me, ut scriptionem meam augmentis si quae haberem et omnino secundis curis ornarem, ego primum excusavi inopiam meam, quia post illam commentationem editam non amplius accuratius huic monumento studium impenderam, tum alias occupationes, quibus detinerer non intermittendas. Postremum identidem a te ad operis participationem invitatus deesse nolui; atque ut voluntatem erga te meam et erga splendidissimam vestram civitatem comprobarem, has ad te literas dare commentationi meae subiungendas animum induxi. Noli tamen, vir ornatissime, exquisiti quidquam aut perpoliti exspectare; hoc tantum mihi proposui ut paucis his pagellis summam quasi subducerem eorum quae adhuc de nobilissimo illo monumento Lugdunensi disputata sunt, brevi adnotatione indicans quid liquido in hac causa constet, quid amplius inquirendum restet. Quo quidem in recensu praeter tuam scriptionem in primis egregium illud Boissievi opus de inscriptionibus Lugdunensibus (*Boissieu* Inscriptions antiques de Lyon) maxime consului. Praeterea hanc provinciam a me susceptam ita administravi, ut nihil fere de meo adderem, sed ut ea tecum communicarem, quae novissime viri aliquot docti nostrates de Lugduni vestri origine et antiquissima conditione civili commentati sunt; in primis Augustus Wilhelmus Zumptius in quatuor libris *de Coloniis Romanorum militaribus*, quos inseruit *Commentationum epigraphicarum ad antiquitates Romanas pertinentium volumini primo. (Berolini,* 1850, in 4.), praesertim pag. 371, 411, 462, aliis locis. Quod dum facio, internuntii quasi et sequestris inter vestrates viros doctos et nostrates munere fungens, rem tibi non

ingratam neque Lugduno vestro inhonorificam neque per se inutilem me facturum esse speravi.

De origine Lugduni hoc quidem certum et exploratum habemus coloniam esse a Munatio Planco deductam. Quae res ex celebratissimo Munatii Planci elogio constat, praeter alios à Boissievo nuper docte illustrato (Inscriptions de Lyon, p. 127 seqq.); ipse aliquando de eodem commentatus sum in *Elogiorum Romanorum reliquiis a me editis Stuttgartiae in bibliopolio Metzleri* 1850, insertis etiam libro qui inscribitur: *Die römischen Elogien und König Ludwigs von Bayern Walhallagenossen von Karl Zell, Stuttgart. Verlag der Metzler'schen Buchhandlung*, 1850. Sed omnium inter nostrates accuratissime et uberrime de hac inscriptione nuper admodum commentatus est Dr. K. L. Roth, professor Basileensis, in libro qui inscribitur: *Mittheilungen der antiquarischen Gesellschaft zu Basel, 4. Heft*, 1852. Cui inserta est commentatio eiusdem. *(Ueber L. Munatius Plancus Erklärung der Inschrift auf dem Mausoleum in Gaeta; von* Dr. *K. Roth.)* Quae coloniae Lugdunensis deductio à Munatio Planco facta, ut in universum certa est et Senecae testimonio (Epist. 91), aliorum confirmata, ita de tempore eius deductionis et occasione continuo quaestio quaedam oboritur. Legimus nimirum, ut constat, apud Dionem Cassium (XLVI. 50), Plancum et Lepidum, ut in Gallia detinerentur, iussos esse a senatu, Viennae civibus ab Allobrogibus aliquando pulsis, ad confluentem Rhodani et Araris qui consedissent, domicilium parare; cui senatus iusso ut obtemperarent, eosdem Lugdunum ad hunc ipsum confluentem condidisse. Iam quaeritur, utrum haec coloniae deductio

in elogio Munatiano commemorata eadem sit atque prima illa Lugduni oppidi origo Munatio et Lepido a Dione Cassio attributa, an ab eadem diversa. Plerumque haec bina eventa nomine diversa, re eadem fuisse putabantur. Contra nunc sentit Boissievus (L. c. p. 130), qui ita statuit: Lugduni oppidum a Munatio et Lepido communi opera esse, senatu auctore, conditum; postea demum in oppidum iam conditum coloniam veteranorum militum esse a Munatio Planco deductam: colonias enim deducendas requirere oppida iam antea condita, in quae deducerentur (l'établissement d'une colonie suppose une ville préexistante). Haec utique consuetudo romana fuit, neque tam immutabilis, ut non etiam a colonis oppida, in quibus habitaturi essent, conderentur. Quapropter cautius de eadem re Zumptius in opere laudato, p. 451, pronuntiare videtur in hunc modum: „(Romani) non Graecorum ratione novas civitates condebant, quas colonias esse vellent, sed veteres novis incolis frequentabant. Perpaucae enim coloniae aedificatae vere a colonis, veluti Lugdunum, Augusta praetoria, Augusta Taurinorum Italiae, Augusta emerita Hispaniae, Carthago Africae, Corinthus Graeciae, in quibus ipsis nescimus, an iam antea vel oppidula vel vici fuerint; aut peculiaris aliqua cura adhibita sit, ut veteranis deductio non agri modo, quos fructuosos alioquin esse constabat, verum etiam domus traderentur.“ Argumentum eius sententiae, qua primam Lugduni civitatis originem et Munatii deductionem coloniae coniungendas esse adhuc putavimus, e Seneca peti potest (Epist. 91), qui utramque copulat eidemque anno assignat, quum scribit: „Nam huic coloniae ab origine

sua centesimus annus est, aetas ne homini quidem extrema. A Planco deducta, in hanc frequentiam loci opportunitate convaluit."

Neque vero solum de tempore, sed etiam de colonorum conditione Lugdunum deductorum quaestio moveri potet. Possit enim quis quaerere an praeter cives illos Viennenses patria pulsos, quos Dio Cassius Lugdunum traductos narrat, etiam milites veterani eodem deducerentur, quum *militum* quidem deductio diserto et expressis verbis nusquam, quantum scio, apud antiquos scriptores commemoretur. Nihilo secius eiusmodi deductio militaris locum habuisse putanda est. Haec enim eo tempore universa coloniarum deducendarum ratio fuit, ut veteranorum militum potissimum in gratiam deducerentur. Praeterea e Ciceronis epistolis (ad div. X. 22) cognoscimus, quantopere Munatius Plancus agrorum divisionis se participem fieri optaret, veteranis assignandorum. Quapropter vel in hoc scriptorum antiquorum et monumentorum silentio non solum Viennenses cives sed etiam milites esse colonos Lugdunum deductos, Lugdunum militarem esse coloniam, non temere sed rationibus satis certis adducti nobis persuasum habemus. Antiquam quoque militum Lugdunum deductorum memoriam loco Taciteo (Hist. I. 65) consignatam habemus, quo Lugdunenses gloriantur, „se coloniam romanam et partem exercitus esse, contra Viennensibus obiiciunt cuncta illic externa et hostilia."

Viennae nimirum principes Allobrogum habitabant, qui cum bello Vercingetorigis fidem in Romanos servassent, a dictatore Caesare vel ab Augusto civitate videntur esse donati et Coloniae iure, admistis novis

colonis, civibus Romanis (Zumpt. l. c. p. 370); Lugduni vero colonia cives habuit et Romanos Vienna pulsos, et milites veteranos eodem deductos; ideoque et romanam se et partem exercitus iactare poterat. Quapropter nescio an non Boissievus p. 134 satis recte explicet, qui „partem exercitus" ad militum numerum refert a Lugdunensi colonia praestandum. Atqui hactenus a Vienna non potuit differre Lugdunum, quum et Vienna esset colonia iisdemque oneribus obligaretur. Alia rursus quaestio est ad Lugduni originem pertinens, de Lepido, quem Dio Cassius Planco in hac colonia condenda socium assignat, reliqui scriptores silent; quae causa Drumannum Histor. Roman. I. p. 17, 350 adduxit ut Lepidi participationem in Lugduno condendo falsam et fictitiam pronuntiaret. Sed quum Lepidus eo tempore Galliae Narbonensi praeesset, non fieri non potuit, quin civium Romanorum rationibus Vienna, in sua provincia sita, Lugdunum traducendis operam daret, et in senatus consulto de hac causa facto nominaretur, etiamsi primariae partes Munatio Planco demandatae essent, id quod recte observavit contra Drumannum Rothius l. c. p. 10. not. 25.

De prima Lugduni origine postremum etiam hoc quaeritur, utrum eo loco ubi colonia a Planco conderetur ad Rhodani et Araris confluentes oppidum aliquod iam antea fuerit, nec ne. Ut priores rerum Lugdunensium scriptores mittamus, qui splendidissimae urbi gallicae, quam finxerunt, coloniam romanam superstruxerunt, tu, vir ornatissime, vicos ibidem vel pagum iam ante coloniam conditam fuisse putas. (Monographie de la table de Claude; édit. in 8. p. 24); Boissie-

vus locum mercatibus frequentatum fuisse coniicit (Inscript. de Lyon, p. 124.) Zumptii de ea re sententiam supra attuli. Utut hoc est, res ipsa docet, Viennenses cives expulsos non sibi locum plane incultum et desertum, quo confugerent elegisse, quo postquam se contulerunt, locum sua ipsorum frequentia habitatum reddiderunt. Eodem etiam nomen gallicum Lugduni spectat; quodsi enim colonia romana in loco ignoto, ab hominum frequentia plane destituto condita esset, procul dubio non gallicum, sed romanum nomen nactum esset. De cuius gallici nominis significatione iuvat nunc docti viri nostratis mihique amicissimi, Francisci Iosephi Mone librum laudare (*Die gallische Sprache und ihre Brauchbarkeit für die Geschichte, von F. I. Mone, Archivdirector zu Karlsruhe. Karlsruhe*, 1851, p. 184), qui si quis alius inter nostrates omnem celticarum linguarum ambitum acri et diuturno studio perscrutatus est. Quem quum de priore parte *(Lugd)* nominis Lugduni consulerem, (nam *duni* significatio satis certa est), edoctus sum, huius quidem prioris partis significationem non aeque esse certam, derivari autem posse vel a voce wallica *Llug (splendor, gleam, source of ligth V. Owen Pughe, Dictionary of the welsch language, Denbigh*, 1832, s. v. *Llug)*, ut Lugdunum idem sonet, quod nomen germanicum haud infrequens *Lichtenberg (Leuchtenberg)*; vel a voce hibernica *Lugh*, *parvus*, (little: v. Edward O.-Reilly, Irish-english Dictionary, *Dublin*, 1817, t. 1. sub voce *Lugh)* ut Lugdunum sit *collis parvus*.

Postquam exposuimus, quae de natalibus coloniae Lugdunensis a Munatio Planco conditae vel certa historiae fide comperta habemus, vel coniectura asse-

quimur, viri nomen occurrit, Munatii Planci nomen quamvis clarum etiam supergressi, quod et ipsum Lugdunensis coloniae incunabula illustrat; M. Antonii triumviri nomen dico. Sed de hac quoque re pauca tantum monumentorum fide comperta habemus, quae Boissievus pag. 125, 126 collegit. Eo pertinet nummus Antonianus Lugduni nomen prae se ferens et Senecae locus ubi imperator Claudius Lugduni natus *Marci municeps*, vocatur quod male a nonnullis contra codicum fidem mutatum est in Munatii nomen. Nescio tamen cur Boissievus hunc nummum appellet; „une véritable médaille de fondation," quum Lugdunensis colonia a Munatio Planco non ab Antonio condita sit. Mihi nulla alia causa esse videtur, cur Antonius in hoc nummo Lugduni nomen cum suo nomine copulaverit, quam quia eo tempore, quo Galliae Lugdunensi sive Celticae ex prima illa orbis romani divisione inter triumviros facta praeerat, Lugduni potissimum commorabatur, quae sola erat colonia romana adeoque caput huius provinciae, qua ex sede provinciam regebat.

Hactenus de Lugduni origine et incunabulis, iam de nobilissimae civitatis nomine videamus. Nomen aliquot mutationes subiisse monumentorum reliquiae hodieque ostendunt, etiamsi tempora harum mutationum non aeque certo definiri possint. De nomine Gallico Luguduni sive Lugduni supra monuimus, quod addito titulo *Coloniae* per aliquod tempus nude positum sine aliis additamentis esse videtur, quale in sarcophagi inscriptione apparet *L. Valerii Iuliani Decurionis Coloniae Lugdunensium,* quam Boissievus affert atque propter hanc nominis simplicitatem antiquissimae coloniae monu-

mentis iure adnumerat. Mox accessit nomen *Copiae*, quod prae se fert nummus Iulii Caesaris et Augusti capita occipite opposito coniuncta habens, nomine tamen Lugduni ut in serioribus monumentis aliis factum videmus, non addito. Sed hunc nummum vere ad Lugdunensem coloniam pertinere, neque ad Thuriorum coloniam in Lucania, quae et ipsa idem nomen *Copiae* in nummis ostendit, non est quod dubitemus. Nam etiam Galliae Narbonensis coloniae, Vienna et Nemausus, Iulii Caesaris et Augusti capita hoc modo opposita repraesentant; nec usquam alibi quam solummodo in Gallicarum civitatium nummis eius modi typus invenitur (v. Eckhel Doctr. num. p. 1. vol. I. pag. 70—73) Nomen *Augustae* utrum statim ab initio coniunctim cum nomine Copiae, quod veri simile videtur, inditum sit, an aliquanto posterius, accurate definiri nequit. Quod si *Copia Augusta* coniunctim eodemque tempore colonia Lugdunensis appellata est, hoc ante annum 727 U. C., quo Octavianus Augusti nomen cepit, fieri non potuit; atque intra annum 738—741 U. C. factum esse probabile fit, quo quidem temporis spatio Augustus in Gallia et Hispania commorabatur earumque provinciarum coloniis condendis ornandis operam dabat, Dione Cassio (L. LIV. cap. 23) teste, qui addit, tunc temporis senatum civitatibus nomina honoris causa attribuisse, qualia nunc sua aetate civitates non pro suo ipsarum arbitrio sibi quaeque arrogent. Inde ab imperatoris Claudii tempore solemne nomen est, ut constat, *Colonia Copia Claudia Lugdunensium* (C. C. C. Aug. Lug. Zumpt l. c. p. 371). Claudiae nomen Lugdunensem coloniam, utpote Imperatoris Claudii natalem nactam

esse, non est quod miremur, neque vero quo anno, qua occasione, quo auctore hoc factum sit, satis compertum habemus. Zumptius l. e. qui Imperatorem Claudium coloniam supplevisse et adiuvisse scribit, id potius ex hac nominis participatione collegisse quam ex disertis scriptorum veterum testimoniis, quae nulla affert, tradere videtur.

Iam nos commentationis nostrae cursus eo deducit, ut consideremus, qualis coloniae romanae Lugdunensis status civilis, quale ius publicum fuerit, quid de hac re liquido constet, quid vel post novissimas virorum doctorum curas adhuc inquirendum restet. In qua quidem re duplex nobis via patet ad verum inveniendum, altera considerantibus, quid scriptores veteres et monumenta de Lugduni ipsius conditione civili tradant, quae admodum pauca sunt, altera via nobis patet, eaquae de universo Coloniarum statu et iuribus comperta habemus ad Lugdunensem coloniam ratiocinando referentibus. Primum hoc inter omnes constat, coloniam civium Romanorum Lugdunum fuisse. Deinde hoc tenendum est, primam coloniae deductionem cives Romanos Viennenses Lugduni collocasse. Neque dubium esse videtur, quin hi primi coloniae Lugdunensis recens conditae cives iisdem iuribus, eodemque statu civili uterentur, quibus antea Viennae usi essent, quum causa vix admitti possit, cur in peiorem conditionem detruderentur. Ad eiusmodi aequalitatem non minus quam communem colonorum originem fortasse pertinet, quod utraque colonia, ut supra adnotavimus, eumdem in nummis typum habebat. Mihi quidem non plane persuasit doctissimus Boissievus, qui Viennenses cives

romanos e colonia ab Allobrogibus pulsos, plenitudinem iuris, quo Viennae gauderent, locorum mutatione amisisse censet. Viennae autem colonia civitatem romanam optimo iure habebat cum aditu ad senatoriam dignitatem, cum iure igitur honorum, quod omnino Galliae Narbonnensis coloniae habebant. Hoc ita esse apparet ex imperatoris Claudii oratione („ornatissima, inquit, ecce colonia valentissimaque Viennensium quam longo iam tempore senatores huic curiae confert") tum ex locis Taciteis Annal. XI. 24. XII. 24. Quid quod disertum habemus Imperatoris Claudii testimonium de iure honorum Lugdunensibus non minus quam Viennensibus attributo, cuius haec sunt in oratione verba: „Quid ultra desideratis, quam ut vobis digito demonstrem, solum ipsum ultra fines provinciae Narbonensis iam vobis senatores mittere, quando ex Lugduno habere nos nostri ordinis viros non poenitet." Neque enim mihi nunc ut olim Claudius tecte se ipsum significare his verbis videtur, sed a Boissievo meliora edoctus ego quoque haec verba recto et plano sensu de senatoribus romanis, civibus Lugdunensibus dicta nunc quidem accipio.

Lugdunum vero non simpliciter colonia fuit civium romanorum, sed colonia iuris Italici, Paulo Icto teste, eoque solo, sed locupletissimo, qui libro II. de censibus (Digest. lib. L. titul. XVI. 8. § 1) inter colonias iuris Italici per orbem romanum sparsas, Lugdunenses enumerat, quum scribit. „Lugdunenses Galli item Viennenses in Narbonensi Iuris Italici sunt." Quo potissimum tempore Lugdunenses iuris Italici participes facti sint, exacte definiri non potest. In coloniarum

indice apud Plinium Galliae Narbonensis (Hist. nat. III. 5) et Comatae (Ibid. IV. 31, 32) simpliciter Coloniae, iuris Italici nomine non addito, et Vienna et Lugdunum appellantur. Quapropter inde colligas fortasse, Lugdunenses et Viennenses post Plinii demum aetatem, qui anno p. Ch. 77 historiam naturalem absolvit, hoc beneficium nactos esse. Neque vero satis certa est haec ratio: nam Plinius etiam in enumerandis aliis coloniis notationem iuris Italici omittit, generali coloniarum, municipiorum, oppidorum latinorum partitione contentus. Tum indicia sunt satis probabilia a Zumptio p. 196—197, exposita, quibus efficitur, Plinium omnino plenum et accuratum coloniarum quales suo tempore essent indicem ne sibi quidem concinnandum proposuisse, sed Augusti potius cosmographiam et Agrippae commentarios sequi. Quodsi Augustus primus hoc nomen iuris Italici induxit, quae quidem sententia est Zumptii (l. c. p. 489), coloniae a Planco deductae statim ab initio hoc nomen nondum attributum esse videri debet. Italicum ius Lugdunensibus vel ab Augusto vel a Claudio datum esse par est. Zumptius, p. 490, rarissime factum esse observat, ut coloniae simul ac conderentur ius italicum acciperent; idque nonnisi propter insignem aliquam causam factum esse, vel cum milites in gentibus barbaris collocati praemio aliquo magno alliciendi essent id quod in colonia Agrippinensi et Lugdunensi et Emeritensi accidisse putat.

Porro Lugdunensis colonia tribui alicui assignata fuerit, necesse erat. Si Caroli Ludovici Grodefend accurata et copiosa eruditio, qua indicem coloniarum Italicarum et municipiorum confecit suis tribubus assig-

natorum (*V. Zimmermann*, *Zeitschrift für Alterthumwissenschaft*, 1836, n. 114—118) etiam ad provinciales colonias se extendisset, procul dubio de Lugdunensis coloniae tribu aliquid certi pronuntiare liceret, ut nomen eius aut teneremus aut usquam inveniri sciremus. Nunc Reinesius rem dubiam reddit, qui Epist. xxxv, Boissievo indice, Lugdunum Stellatinae tribui assignat, auctorem tamen non nominans, ut nescias, utrum vere hoc tribus nomen apud scriptorem veterem vel in monumento aliquo invenerit, an coniectura ductus vel memoriae lapsu ita scripserit. Postremum ad civilem Lugdunensis coloniae statum cognoscendum locus pertinet Strabonis (Geograph. IV. 3. p. 309, ed. stereot. Lips.) qui hanc civitatem genti Segusiavorum praesidere commemorat (*Προκάθηται τοῦ ἔθνοῦς τοῦ Σαιγοσιάνων*), et Ptolemaei Geograph. (II. 8. p. 105, ed. stereot.) qui Lugdunum Galliae Comatae metropolin appellat. Atque haec fere sunt, quae de Lugdunensis coloniae conditione civili sive statu politico ex veterum scriptorum libris comperta habemus; quibus accedit aliqua munerum et honorum municipalium Lugdunensium notitia ex inscriptionum reliquiis petenda, quas Boissievus cap. V. p. 145 seqq. collegit, docteque illustravit.

Altera via ad eiusdem rei cognitionem supplendam, ut supra significavimus haec est, ut ex universa coloniarum et iuris Italici ratione communes conditionis civilis partes enumeremus et ad veteris Lugduni imaginem repraesentandam adhibeamus. Haec tamen via longinquius abducit, quam nunc pergere vacat, aut libet. Pauca tantum huius generis et strictim attingere mihi propositum est, eo potissimum consilio, quod iam

supra significavi, ut eorum quae nostrates viri docti novissime de his rebus commentati sunt specimina aliqua tecum, vir ornatissime, communicem. De Coloniis in universum (de quarum rationibus Reinius in libro qui inscribitur: *Pauly*, *Encyclopædie der Alterthumwissenschaft*, voll. II. p. 504, sub voce *Colonia*, et aliorum sententias et suam docte sed summatim exponit) hoc constat, magnam fuisse iurium et conditionis civilis varietatem secundum suam coloniae cuiusque condendae legem. Cives Romani, qui e coloniis civium Romanorum Romam migrarent, inprimis qui honoribus in sua colonia essent functi, quin ius suffragii atque adeo, dummodo conditionibus a lege constitutis communibus satisfacerent, etiam ius honorum habuerint, non est quod dubitemus. Idem igitur de Lugdunensi colonia valuit, et, ut supra vidimus, diserto Imperatoris Claudii testimonio confirmatur. De iure Italico Savinii Commentatio etiam apud vestrates celebratur, quam pluribus quae postea accesserunt additamentis optime nunc editam reperies in Savinii Operibus variis (Vermischte Schriften von Friedrich Carl von Savigny, *Berlin* 1850, 1. Band. p. 29 seqq.). Sed tua intererit conferre etiam quae Zumptius op. laud. pag. 482 seqq. de iure Italico commentatus est, qui in nonnullis a Savinio recedit. Quum enim Savinius tres partes iuris Italici coloniarum statuat, immunitatis, libertatis et dominii ex iure Quiritium: Zumptius binas tantum admittit, immunitatis et libertatis; quae sicui coloniae datae essent, eam his ipsis iuribus ius Italicum habuisse censet, dominium ex iure Quiritium tertiam partem iuris Italici a binis illis alteris discretam aut diversam fuisse negat. Alia eius-

dem est observatio, quae ad Lugdunensis coloniae ius Italicum pertinet. E verbis enim Pauli ICti (loco supra laudato Dig. L. 15, 8. § 3) *Laodicea in Syria et Berytus in Phoenice iuris Italici sunt et solum earum*, hoc colligit, potuisse aliquam civitatem iuris Italici etiam hoc modo esse participem, ut eius solum per se, a civibus iuris italici seiunctum, non esset eiusdem iuris particeps. In iis coloniis, in quibus non modo civitas sed etiam solum civitatis iuris Italici esset, omnes possessores immunitatem habuisse censet, sive coloniae cives essent, sive extranei; idque genus coloniarum cum iure italico in recensu a Paulo Icto facto denotari urbis ipsius nomine. In iis vero coloniis in quibus non etiam civitatis solum sed tantummodo civium universitas iuris italici esset, nonnisi cives neque vero extraneos possessores in colonia immunitatis beneficio usos esse; atque hoc alterum coloniarum genus iuris italici minus pleni apud Paulum significari non urbis sed civium nomine, eamque causam esse, cur Lugdunenses (non Lugdunum) iuris Italici participes dicat. Ex hac igitur ratione, si omnino eam admiserimus, efficeretur, ut Lugdunum vestrum iis esset coloniis adnumerandum, in quibus immunitas soli cum civibus coniuncta esset, neque per se ipsam, quicumque possessores fuerint sive cives, sive extranei, valeret.

Praeter alia, quae de veteris Lugduni conditione scire cupiamus, etiam hoc quaeri potest, an gentem in vicinia habitantem vel eius saltem partem in potestate sua quadam habuerit, cuius rei Tergestina colonia tam luculentum nobis exemplum suppeditat, ut ex decreto de Fabii Severi honore patet in Delectu Inscriptionum,

quem edidi n. 1753. Parem Lugduno potestatem vix attribuam, quum Segusiavi (hoc enim, ut Boissievus (p. 118) comprobavit verum gentis nomen est), in quorum finibus civitas Lugdunensis sita erat, liberi essent, et suam ipsorum civitatem haberent. Quapropter Segusiavorum praesidium, quod Strabo Lugdunensibus attribuit, honoris potius quam potestatis fuisse videtur. Multa alia in Zumptii commentatione tractata invenies de coloniarum militarium deductione, conditione civili, diversis civium et incolarum generibus, quae ad Lugdunum cognoscendum ratiocinando et coniiciendo transferri possunt. Sed haec longius persequi supersedeo.

Ex iis quae adhuc disputavi, vides, vir ornatissime, me ab eorum partibus stare, qui ita sentiunt, Imperatorem Claudium ius honorum et aditum ad senatoriam dignitatem non Lugdunensi coloniae a senatu petiisse, quippe quae hoc ius iam haberet, sed pro iis Galliae Comatae primoribus ex aliis civitatibus praeter Lugdunum, qui civitatem romanam iam essent assecuti, sed iure honorum adhuc carentem. Cur autem tabula orationis Claudianae Lugduni asservaretur, etiamsi haec colonia plenum civitatis romanae beneficium iam esset assecuta, neque difficile est explicatu et alii iam exposuerunt. Verbo res potest expediri; factum est quia Lugdunum, ut supra Ptolemaeo teste retulimus, Galliae Comatae metropolis erat. Ad iura autem metropolis cuiusque inter alia etiam hoc pertinuit, ut leges et edicta ibi publice proponerentur, id quod accuratius docuit Spanhemius de praest. numism. Tom. I. p. 637, eumque sequens Eckhel Doctr. num. p. 1. vol. IV. cap. V. de metropolibus; pag. 281.

Sed haec quidem hactenus; ad rem ipsam de qua agitur illustrandam parum, ad voluntatem meam comprobandam et ad epistolae mensuram satis. Meliora fortasse daturus eram, si non aliis occupationibus hoc ipso tempore urgerer et muneris quo fungor et partis secundae Enchiridii epigraphici, quem edidi absolvendae; quem quidem librum ut viri docti in Gallia aequi bonique consulant, vehementer exopto.

Heidelbergae die 8 octobris MDCCCLII.

CAROLVS ZELL.

DE ARISTOTELE
PATRIARUM RELIGIONUM AESTIMATORE.

ORATIO

QUAM AD AUSPICANDUM MUNUS PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII
IN LITERARUM UNIVERSITATE RUPERTO-CAROLA HABUIT

CAROLUS ZELL,
PHILOS. DOCT. CONSILIARIUS AULICUS, ORDINI LEONIS ZARINGICI ADSCRIPTUS.

MDCCCXLVII.

Quod plerumque usu venire solet novum vitae genus capessentibus vel repetentibus diutius intermissum, ut animos habeant diversis cogitationibus commotos, idem egomet nunc cum maxime mihi accidere sentio. Haud leviter enim commoveor dum muneris suscepti pondus reputans virium mearum modulum cum tot clarissimorum virorum laude in hac academia docentium compono. Sed rursus plura sunt, quae animum mihi addunt et dubitantem confirmant: praesertim augustissimi academiae Rectoris voluntas, cuius iussu et auspiciis hunc locum teneo; tum universitatis cui adscriptus sum, ad literas colendas et ad omnem vitae rationem opportunitas. Accedit muneris professorii re-

cordatio non sine fructu a me iam prius gesti. Acquiesco denique in doctissimorum collegarum humanitate; inter quos, praeter alios iam dudum mihi amicos, inprimis me recreat venerabilis in philosophorum ordine senioris, praeceptoris quondam mei, adspectus, quocum ea mihi intercedit et tam diuturna pietatis, animique grati necessitudo, ut nihil optatius evenire mihi potuerit, quam ad eius consuetudinem aditum denuo nancisci, et cuius universa antiquitatis intelligendae et interpretandae ratio ea mihi semper visa est, ut vestigia eius quamvis e longinquo sequi plane mihi propositum sit. Quapropter etsi rei gravitate et muneris suscepti religione commotus, tamen laetabundus et animo obfirmato consaluto Te, vir illustris, Curator universitatis nostrae meritissime, atque Vos, viri doctissimi, collegae omnium ordinum honoratissimi; consaluto Vos, iuvenes lectissimi, qui undique ad hanc Musarum sedem studiorum causa accurristis. Consaluto hanc ipsam optimarum artium officinam et domicilium, atque memor tot in omni literarum genere heroum, qui per saeculorum decursum generi humano studiis suis et laboribus ibidem profuerunt, genium loci veneror.

Sed non satis est, auditores honoratissimi, me animi sensa mei proloqui; etiam aliud quid praestandum relinquitur. Laudabili enim maiorum instituto ab iis, qui docendi adeunt munus, exigitur, ut non a votis solum et verbis auspicentur, sed ut statim in limine quasi templi in quod admittuntur, afferant aliquod donarium, quo et numen venerentur et de sua ipsorum sentiendi et dicendi ratione augurium capi sinant. Atque mihi quidem materiam disputandi aliquam circumspicienti,

quae argumenti et dignitate et quantum fieri posset novitate virium mearum tenuitatem compensaret neque a professionis meae munere esset aliena, placuit non ita longa disputatione exponere, quid Aristoteles philosophus de patriis Graecorum religionibus senserit. Quid enim cum ad antiquitatem universam tum ad artem antiquam recte intelligendam plus valet quam antiquarum cognitio religionum? Ad totius autem vitae humanae causas et instituta vel perspicienda vel regenda quid maioris est momenti, quam haec ipsa religionem inter et philosophiam ratio? Iam vero in utroque hoc genere quod et ad graecas religiones spectat et ad hanc maiorem quaestionem de universa religionum et philosophiae inter se ratione nemo facile arbiter quam Aristoteles potior habebitur. Quapropter disputationis ut argumentum auribus vestris fortasse non plane indignum habebitur, ita tractationem ut aequi bonique consulatis vos rogo. Iam ad rem accedamus.

Bina sunt capita, unde omnino, quid de patriis religionibus philosophus aliquis sentiat, repeti possit: primum vitae acta tum testimonia librorum a se scriptorum. Iam si Aristotelis vitam introspicimus, quamvis paucae, sed habentur tamen nonnullae significationes haud obscurae, quae eo pertinent. Inter quas praesertim testamenti Aristotelei capita quaedam apparent. Iubetur enim ibidem Nicanor heres, Pythiadis filiae suae sponsus, votum ab Aristotele pro eius ipsius salute quondam susceptum solvere, signa marmorea quatuor Iovi Servatori et Minervae Salutiferae ponendo. Ibidemque praescribit philosophus, ut Cereris signum a matre sibi traditum Nemeae vel alio loco conveniente

donarium dedicetur [1]). Unde hoc certe quidem efficitur, Aristotelem non abhorruisse a communi in religionibus colendis consuetudine. Sed opponat mihi aliquis fortasse narrationem de Aristotele impietatis accusato, quod quidem crimen ei Demophilus civis Atheniensis, Eurymedonte Hierophanta auctore, tam prospero successu intendit, ut philosophus Athenis Chalcidem in Euboea fugere esset coactus, ubi haud multo post supremum diem obiit. Ita fere haec res a pluribus scriptoribus narratur, neque vero tam accurate, ut plane et ab omni parte cognoscatur. Sed vel in hac obscura eius rei memoria non difficile est intellectu, quam vana haec criminatio fuerit. Quid enim obiecit philosopho accusator? Primum quod in Hermiae amici laudem celebratissimis illis de virtute versibus paeana conscripserit, quod genus carminum nonnisi deo vel heroi, non homini celebrando conveniret; deinde quod decreta quaedam philosopha pronuntiaverit, patriis religionibus adversa [2]). Sed de illo carmine Athenaeus iam demonstravit, meras fuisse calumnias, quum neutiquam paean esset, sed scolion et omnino ex eorum genere carminum, qualia multa similia in celebrium virorum laudem sine ulla offensa apud Graecos composita invenirentur [3]). Quaenam vero philosophiae Aristoteleae

[1]) Diogen. Laert. V. 1, 9. § 16. cf. Becker. Charicles. Tom. II. p. 227.

[2]) Diogen. Laert. V. 1, 7. — Origin. contr. Cels. I. p. 51. Ed. Hoeschel. — De hac Aristotelis accusatione similique Theophrasti optime exposuit F. A. Hoffmann, auditor quondam meus lycei Rastadini professor, in dissertatione: De lege contra philosophos inprimis Theophrastum auctore Sophocle lata. Carolsruhae 1842.

[3]) Athenae. XV. 696. B. Ed. Casaub.

praecepta religiones patrias impugnantia notaverit accusator, neque apud rerum scriptores memoriae proditum invenimus, et Aristotelem quanquam philosophandi libertate utentem nusquam tamen hostilem in patrias religiones animum prodidisse ex ipsius libris infra sumus demonstraturi. Harum calumniarum autem quibus philosophus peteretur causas etsi non diserto a rerum scriptoribus traditas tamen coniectura satis probabili assequi possumus. Nimirum Aristoteles et ex doctrinae suae rationibus et ex necessitudine, qua cum Alexandro rege, alumno suo, coniungeretur, ab eorum Atheniensium partibus stetit, qui pacem et Macedonum imperium quam turbulentas reipublicae vicissitudines et pessimi cuiusque potentiam malebant. Alexandro igitur rege exstincto omnes qui Macedonum imperio etsi non temere neque ob lucrum sed consulto et communis salutis causa faverent, ab iis qui veterem libertatem vel falsa simulatione praetenderent, vel vera animi affectione etiamsi incassum quaererent, omnibus modis lacessebantur. Inter Macedonum autem amicos Aristoteles quum primarium locum obtineret, adversarii eorum nihil antiquius habuerunt, quam Alexandri praeceptorem subvertere.

Nihil igitur haec impietatis accusatio a meris sycophantarum et factiosorum hominum artibus profecta nos impedit, quo minus testamenti Aristotelei vestigia sequentes philosophum credamus in vitae usu a popularium religionum cultu non fuisse alienum, sed communem in hoc genere consuetudinem, ut alium quemlibet bonum civem esse secutum.

Iam ad alterum huius rei cognoscendae fontem aliquanto uberiorem, id est, ad libros Aristoteleos nos

convertamus et videamus, siquid inde ad hanc quaestionem explicandam peti possit. Adsignantur igitur Aristoteli volumina, quibus et universum religionum orbem complecteretur, ut opus quod inscribebatur Θεολογούμενα et quibus singularia capita tractaret, ut de precatione (περὶ εὐχῆς) et de animalibus fabularibus (Ὑπὲρ μυθολογουμένων ζώων). Neque minus eodem celebratissimum illud opus pertinet, quo omnium fere populorum origines et instituta explicuit, quod sine multiplice et uberiore rerum sacrarum et popularium religionum tractatione perfici non potuit. Atque hunc de religionibus locum sive in his libris sive alias tractans tam longe prospexit et tam libero iudicio usus est, ut neutiquam in solis popularibus Graecorum poetis, Homero, Hesiodo, aliis haereret, sed et antiquiores theologos respexit atque adeo exterarum gentium religiones cum graecis curiose composuit [1]. Sed illa opera quum longa aetas omnia paucis fragminibus exceptis hauserit, hoc potissimum nobis agendum est, ut sparsos per opera philosophi hodieque reliqua locos conquiramus et potissimos certe quidem apto ordine dispositos explicandi periculum faciamus [2]. In tota autem hac tractatione eum

---

[1] De theologis Orphicis ab Aristotele laudatis V. Metaphys. N., 4. p. 1091, 6, 6. cf. Creuzer. Symbol. III. 142. Brandis, Geschichte der griech. röm. Philosoph. I. 59, 69. — Iovem cum Oromasde, Plutonem cum Arimano componi ab Aristotele Diogenes Laert. refert. Proem. VI. 8.

[2] Librum de mundo quamvis multa ad hanc quaestionem spectantia contineat, consulto omisimus, quippe qui pro suppositicio vel dubio certe quidem habeatur. Sed rursus haec quaestio a nobis tractata magnam vim habet ad eam libri illius partem diiudicandam, qua religiones populares cum philosophis

ordinem sumus servaturi, ut inquiramus quid Aristoteles senserit primum omnino de religionibus popularibus, sive de religione quam nos nunc dicere solemus positiva; deinde quid de patriis Graecorum religionum religionibus in universum; postremum delectum faciamus eorum locorum, quibus philosophus de singularibus graecarum religionum fabulis et institutis sententiam proferat. Atque in his omnibus quaestionis tractandae partibus non solum loci diserti et quibus data opera de religionibus sermo instituitur, respiciendi esse videntur, sed etiam verba sponte fusa et oblata occasione sparsa: nam ea ipsa haud raro veram voluntatem et animi sensa certius significant, quam praeparata oratio et consulto composita.

Ita mihi, ut inde ordiar, semper memorabilis visus est locus Topicorum [1]) ubi Aristoteles de sententiis paradoxis sive thesibus tractans, thesium non omnium rationem haberi oportere dicit, sed esse nonnullas continuo reiiciendas potius quam iusta disputatione tractandas, cuius praecepti hoc exemplum proponit. Siquis, inquit, in dubium vocet, utrum dii colendi vel parentes amandi sint nec ne, is castigatione potius quam disputationis communione dignus est. Tantum igitur ab-

---

rationibus conciliandi studium apparet, quod quidem non tam alienum ab Aristotele est, quam Meinersio aliis et Osanno ipsi tam egregie de hoc libro disputanti videatur (Osann, Beiträge zur griech. und röm. Literaturgeschichte. T. I. p. 171 seqq. et p. 194).

[1]) Topic. I. 11. p. 105. a. 3. Ed. Berol. Non absimili modo in pictura lesches delphicae impius in patrem iuxta sacrilegum poenam luens adspiciebatur. Pausan. X. 28, 2.

fuit, ut receptum communi usu et solennem deorum cultum parvi faceret, ut siquis quaestionem proponeret, qua in civium animis dubitationum et controversiarum semina maligne spargeret, poena eundem aeque dignam haberet quam siquis de reverentia et amore parentibus tribuendo dubitaret. Praesertim vero quid de religionum natura et usu in universum Aristoteles senserit, ex eo Politicorum libro apparet, quo perfectam rei publicae speciem qualem mente conceperat uberiori descriptione proponit. Ibi quidem ita hunc locum tractat, ut de vera philosophi sententia dubitare non possimus. Postquam enim diversas vitae conditiones et hominum ordines in quaque civitate necessarios enumeravit, agricolarum, opificum, civium vel pacis vel belli munera obeuntium, postremum a vilioribus ad maiora ascendens divini numinis cultum et qui eiusdem habent curam considerat [1]). Iam sumtibus in cultum divinum impendendis largissime providet: integrum enim civitatis territorium in binas partes distribuit, alteram agri publici, alteram privati; publicum rursus in binas partes, quarum alteram deorum cultui assignat, alteram communium conviviorum sumtibus, ita ut quarta integri territorii pars religionum usibus destinetur, quantum quidem vix ulla unquam sacris curandis et sacerdotibus sustentandis res publica impenderit [2]). Neque minori cura aut liberalitate philosophus aedificia divino cultui destinata tractat et sacerdotum habitationi. Praescribit

---

[1]) Politic. VII. 7, 4. p. 283. Ed. Schneid. — Ibid. VII. 8, 6. p. 286.

[2]) Polit. VII. 9, 7. p. 289.

enim esse huius generis aedificia cum publicis magistratuum aedificiis coniungenda, exceptis iis templis, quae vel consuetudine vel ex oraculorum responsis separata esse oporteret; simulque loci naturam et universam sacrorum aedificiorum rationem accuratius indicat [1]). Quid? quod in hoc ipso optimae civitatis exemplari libera mentis cogitatione formato neque verae vitae impedimentis obnoxio tantum consuetis religionum caerimoniis et auctoritati antiquitatis tribuit, ut etiam non optimas religiones modo antiquas et consuetas retinendas et observandas esse praecipiat. Nam etiamsi subturpes sermones omnes et obscoenos, non minus quam eiusmodi signa et picturas a magistratibus prohiberi et e medio tolli iubeat, disertis verbis eorum deorum festa et sacros ritus excipit atque conservandos censet, quibus more antiquitus consueto et ex veterum caerimoniarum institutis lascivior iocandi et illudendi libertas tribuatur [2]). Etiam significat, quam salubri consilio vel in optima civitate religionum popularium caerimoniae ad vitam regendam abhiberi possint, exemplo satis memorabili. Dum enim de recta coniugii ratione et de cura prolis procreandae tractat, mulieribus gravidis commodam corporis exercitationem commendat easque satis facili negotio ad hanc suae valetudinis curam habendam posse adduci dicit, si ex sacri ritus

---

[1]) Polit. VII. 11, 1. p. 293.

[2]) Polit. VII. 15, 8. Non tam de Priapo et Orthane, Conisalo, aliis eius generis daemonibus hoc loco cogitandum esse videtur, quod Schneidero et Goettlingio placuit, quam de gephyrismo, de steniis, Cereris festis, aliis similibus, de quibus V. Creuzer. Symbol. Tom. IV. p. 454. et p. 529.

vel legis institutione pariturae quovis die aedem dei alicuius vel deae adire tenerentur ex eorum numero quibus partus tuendi et prolis munus assignetur [1].

Ex iis quae adhuc sunt prolata hoc consequitur, Aristotelem divini numinis cultum et religionum instituta ad civitatem vel optimam tuendam plane habuisse necessaria, neque qualia sibi quisque vel philosophus vel de plebe non philosopha ex suo arbitrio vel lubitu fingat, sed qualia legibus, et more maiorum sancita atque temporis diuturnitate confirmata in populorum vita inoluerint.

Iam videamus quid de patriis Graecorum religionibus philosophus iudicet et primum quidem de toto hoc genere in universum. Qua quidem in re, siquis Aristotelis nonnisi disserendi acumen et omnino austerum illud philosophandi genus cogitet, neque ad eiusmodi in scriptis eius locos attenderit, quales modo attulimus, is fortasse philosophum graecarum de diis fabellarum figmenta contemsisse vel nonnisi ut irrideret vel refutaret mentionem earum fecisse putaverit: quod longe secus est. Aristotelem qui accuratius norunt probe sciunt, quantum ab illorum supercilio distet, qui universam humani generis vitam suis decretis ex solo suo ipsorum ingenio scilicet petitis subiiciant, quum contra nemo ipso curiosius veram hominum vitam, instituta, mores, consuetudinem observet, examinet, atque ad hanc vitae veritatem philosophiae commenta tanquam ad obrussam exigat. Admodum curiose igitur etiam patrias religiones ab Aristotele esse investigatas, et doctior quisque

---

[1]) Polit. VII. 14, 9. p. 309.

philosophi aestimator ultro arbitretur et plura eaque praeclara vestigia in operum eius reliquiis ostendunt. Sed praeter universam philosophiae suae indolem, aliae certae quaedam causae ab ipso afferuntur, quae popularium fabularum studium commendent vel certe quidem excusent. Platonem enim praeceptorem in hac sententia sequens quum homines mirando ad philosophandum adductos esse statuit, addit, ob eam causam philosophum quemque oportere esse etiam philomythum; mythum enim rebus mirabilibus constare [1]). Excusationem autem fabularum de diis popularium a rerum divinarum obscuritate et incerta cognitione petit. Licere enim dicit poetis in repraesentandis deorum personis et vitis communem de iis famam quamvis non optimam neque usquequaque veram sequi, quum eiusmodi res plane certum et clarum intellectum non admittant [2]).

Sed ut iam ad interiores rei causas descendamus, non desunt in reliquis Aristotelis operibus eiusmodi loci, in quibus omnino in religionum graecarum naturam inquirat, eamque ad philosophas rationes revocet ita quidem ut doctrinae suae argumenta inde petat vel rursus e philosophiae rationibus religiones explicet et saniore interpretatione emendet. Primarius de toto hoc genere locus est et pro exemplo esse potest Metaphysicorum locus aliquis [3]), quo de antiquissimorum deorum natura sententiam profert. Postquam ibi de summo illo omnis motus principio, quod incorporeum, aeternum, ipsum

---

[1]) Metaphys. I. 2. p. 982. b. Ed. Berol.
[2]) Poetic. c. 25. p. 1460.
[3]) Metaphys. XII. 8. p. 1074. b.

immobile totum coelum agitet, tum de aetheroeis siderum naturis, vivis illis quidem et aeternis, sobria sed generosa quadam et sublimi simplicitate exposuit, antiquarum religionum patriarum fidem, quae et ipsae sidera et coelum pro diis habuerint, ad philosopha sua argumenta confirmanda adhibet, eorumque sensum his fere verbis aperit. Persuasum, inquit, maioribus erat inde ab antiquissimis temporibus et quamvis fabularum involucris posteris traditum, sidera deos esse et universam naturam divino numine contineri. Cui doctrinae post alia additamenta ad multitudinis sensum et ad legum opportunitatem facta accesserunt, veluti deorum formae ad humanae naturae speciem effictae, alia eius generis. Sed siquis doctrinam illam ab his accessionibus segregatam consideraverit, qua antiquitas primas illas substantias sive primam rerum causam divino numini assignavit, egregie excogitatam inveniet. Atque ut multa, ubi primum inventa sunt, postea interciderunt, ita in his patriis et antiquissimis fabulis melioris doctrinae reliquiae nobis servatae, apparent. Quae philosophi sententia quam praeclare sit ad veterum religionum sensum accomodata, nihil attinet pluribus verbis demonstrare. Eandem fere sententiam ternis aliis locis in libris de Coelo et in Meteorologicis repetit [1]. Neque minus aliam antiquarum religionum doctrinam de daemonum natura a divini natura numinis diversa comprobat. Ubi enim de divinatione per somnia tractans docuit, somnia non a deo mitti sed ad daemones

---

[1]) De coelo I. 3. p. 270. b. 5. II. 1. p. 284. a. 1. Meteorolog. I. 3. § 4. Ed. Ideler p. 7. Vol. I.

pertinere, disertis verbis addit: natura enim daemonia est, non divina [1]). — Sed ut veteres religiones ad philosophiae doctrinam explicandam et confirmandam adhibere non respuit, ita rursus patriarum religionum errores philosophiae ope corrigere studet. Cuius generis pro exemplo esse potest locus, ubi opinionem de divini numinis contra humanum genus invidia corripit. Postquam significavit, siquid numen divinum hominibus, quemadmodum poetae narrent, invideat, hoc de perfecta illa et absoluta rerum scientia valere debere solius summi dei propria, humano generi denegata, continuo addit: at fieri non potest, ut numen divinum sit invidiosum et secundum proverbium poetae mendaces [2]). Originem causamque et huius et similium in popularibus graecorum religionibus errorum satis clare alio loco significat, quo quidem, ubi deos regum ad exemplar ab antiquitate informari dixit, quoniam populi tunc regnarentur, in universum hanc sententiam pronuntiat: homines deorum ut formas ita etiam vitas et mores ad humanae conditionis modulum deprimere solere [3]).

Hactenus de ea disputationis parte, qua quid in universum de toto hoc genere senserit Aristoteles nobis

---

[1]) Divinatio per somn. p. 463. b. 14. et p. 464. a. coll. Problemat. XIX. 49. Cf. Creuzer. Symbol. Tom. I. p. 392 seqq. III. p. 74.

[2]) Metaphys. I. 2. p. 983. a. 1.

[3]) Polit. I. 1, 7. p. 7. Ed. Schn. Hunc fortasse locum significavit I. Paul Richter Vorschule der Aesthet. § 57. Tom. I. p. 267. ubi dicit: „wie nach Aristoteles sich die Menschen nach ihren Göttern errathen lassen.“ Alius certe quidem Aristotelis locus, qui propius ad hanc sententiam accedat mihi non innotuit.

exponendum erat. Iam mihi dicturo de singulis fabulis, institutis, ritibus graecarum religionum quid iudicaverit philosophus, delectus habendus est, ita quidem ut omittam aut brevi significatione attingam, quaecunque solitariae potius lectioni et criticis disquisitionibus quam huius recitationis tractationi conveniant. Sed haec omnia, quae nunc quidem proponenda sunt sive maiora sive leviora (nam ne minuta quidem aut quae prima fronte vix scitu digna videantur philosophus aspernatur) ad tria omnino capita revocari possunt. Profert enim Aristoteles et explicat singulares fabulas et ritus triplici potissimum occasione utens, vel in historia populorum et antiquitatis memoria enarranda, vel in historia naturali explicanda vel denique in reliquis philosophiae partibus tractandis.

Quod attinet ad primum illud genus largissima religionum et patriarum et peregrinarum materies, ut iam supra significavimus, Aristoteli tractandam se obtulit in praeclaro illo opere, quo omnium fere rerum publicarum formas et instituta exposuit, cuius tractationis vestigia vel in his laceris nobilissimi operis reliquiis plura supersunt, ut de Atheniensium Apolline patroo, de mysteriorum curatoribus, de altari Apollinis in Delo insula, de oraculo Dodonaeo, alia, quae sigillatim excutere ab hoc loco alienum est [1]).

---

[1]) Niebuhr Röm. G. I. p. 21. „Aristoteles erforschte (in seinen Politien) die Verfassungen und Sitten der Völker, ohne das Mythische zu verachten, welches in der Geschichte der Alten nirgends durch eine scharfe Linie von den historischen Erzählungen abgesondert wird.“ Loci ex opere rerum publi-

In historia animalium, ut ad alterum genus transeamus, haud semel populares fabulas et superstitiones respicit, ut exempli causa cum explicat, cur aquilam homines divinam avem habeant, et cum eandem avem ob rostrum in senectute prave distortum fame perire narrat, addit: secundum fabulam ore vulgi tritam hoc ideo fieri, quia aquila olim ex homine ob hospitem a se caesum in avem mutata esset [1]). Eodem pertinent aliae fabulae populares, quos commemorat, ut ardearum genus, lentam et pigriorem in volatu avem, e servis in aves esse mutatum; lupas duodenos dies continuos paturiendo insumere quoniam et Latona totidem diebus ex Hyperboreis Delum pervenerit [2]). Omnino populares superstitiones vel leviores commemorare non fastidit, neque causas earum inquirere. Ita cum aliquo loco tonitru cum flamma ligni adusti crepitante comparat, hunc flammae crepitantis sonum ab aliis Vulcani vel Vestae risum, ab aliis minas vocari addit [3]). Alio loco inquirit, cur sternutatio sola inter similes corporis affectiones faustum omen habeatur. Quam hominum opinionem ideo iuvaluisse arbitratur, quia plerumque bonae valetudinis post morbum recuperatae indicium sit, et quia ex sacratissima quasi corporis parte, id est, ex capite proveniat [4]).

De reliquis philosophiae partibus explicandis, est

---

carum Aristotelis a me significati collecti habentur in Aristotelis rerum publicarum reliquiis Ed. Neumann. Heidelb. 1827.

[1]) Histor. Animal. IX. 32. p. 619. a. 20. Ed. Berol.

[2]) Ibid. IX. 18. p. 617. b. et VI. 35. p. 580. 15.

[3]) Meteorolog. II. 9. p. 369. a. 30.

[4]) Problem. XXXIII. 9. p. 962. a. 31.

apud Aristotelem in Physicis, Metaphysicis et in libris ad doctrinam moralem pertinentibus, singularum fabularum et opinionum e popularibus religionibus petitarum commemoratio frequentior, quam pro eius severa philosophandi ratione exspectaveris. Iam huius quoque generis exempla quaedam deligamus.

In Methaphysicis ubi gravissimam eamque difficilimam de primis rerum causis locum tractat, hanc quoque quaestionem proponit, utrum iam prima rerum causa et principium pro bono habendum sit, an hoc boni et mali discrimen tum demum accesserit, quum haec ipsa prima rerum causa a primis initiis ad maturitatem et naturae suae complementum pervenisset. Deinde eos philosophos significat qui hanc posteriorem sententiam sequerentur atque eandem doctrinam veteribus quoque religionum patriarum fabulis subesse pronuntiat, secundum quas initio rerum Nox, Chaos, Uranus, Oceanus fuisse perhiberentur, quibus sero demum Iovis imperium perfectius illud quidem et praestantius successisset [1]). Atque hoc ipsum Chaos alio loco adhibet ad naturam spatii explicandam Ubi enim spatium esse docuit aliquid a corporibus separatum, sed in quo corpora omnia contineretur, Hesiodus, inquit, recte Chaos primum omnium rerum esse tradit [2]). Haud absimili modo sexus differentiam diis attributam ad philosophas rationes revocat. Definit primum marem omnino eiusmodi animal esse, quod in alio gignat, feminam esse animal quod in se ipso gignat. Tum haec addit: quam ob rem etiam

[1]) Metaphys. XIV. 4. p. 1091. b. 3.
[2]) Physic. IV. 1. p. 208. b. 29.

omnes naturam telluri quasi feminae et matris tribuunt, Coelum autem et Solem nomine genitoris patrisque appellant [1]). Similem fere viam in aliis deorum naturis et fabulis interpretandis ingreditur. Ita Martis et Veneris amorem a poetis celebratum hanc ob causam excogitatum dicit, quia fortissimi quique plerumque Venereis studiis maxime obnoxii esse soleant, quod et Lacedaemoniorum exemplo demonstrat, in quarum re publica mulieres multo plus iusto polleant [2]). Minervam tibias abiecisse in fabulis non temere narrari, sed iusta de causa, neque ideo solum quia tibiae usus os deformet, verum etiam quo significetur, hoc musices genus ab elegantiore ingeniorum cultu esse alienum [3]). Atlantis fabulam, tali ratione explicat. De coeli motu disputans, necessario aliquid esse oportere dicit, quod ipsum quiescens et immobile ad universum coelum ab ipso movendum plane eadem ratione se habeat, qua terra et ipsa immobilis et firma ad animantia in ipsa versantia se habeat. Deinde hoc addit, talem quandam cogitationem eos habuisse, qui de Atlante fabulam comminiscerentur, quem pedibus terrae firmiter insistentem fingerent, perinde quasi diameter esset universae sphaerae

---

[1]) De generat. animal. I. 2. p. 716. a. 15.

[2]) Polit. II. 9. p. 1269. b. 25. Ed. Berol. II. 6, 8. Ed. Schneid. Lectu dignissima est Petri Baylii disputatio, qua contra communem hominum opinionem exemplis pluribus Tillyi, Turenii aliorum belli ducum egregiorum demonstrat, fortes viros et bellicosos non esse natura ad studia venerea necessario propensos. V. Dictionnaire critique s. v. Henri IV. not. B. Tom. II. p. 62. Ed. Roterod. 1697.

[3]) Polit. VIII. 6, 8. p. 331. Ed. Schneid. pag. 1341. b. 2. Ed. Berol.

coelumque circa polos torqueret. Eandem tamen fabulam alio loco reprehendit tanquam serius et contra antiquissimarum religionum indolem inventam, quippe quae sidera et universum coelum sponte atque virtute naturae divinae sibi insitae circumagi neque eiusmodi quasi fulcro extrinsecus adhibito indigere docuerint [1]. In eadem causa aliam fabulam adhibet ad suas de coeli motu rationes explicandas. Ubi enim denuo argumentis e naturali scientia et philosophia petitis principium illud omnis in rerum natura motus etsi ipsum quiescens et ab omni motu vacuum a mundo seiunctum et extra mundum vigens demonstravit, ab Homero dicit recte et prudenter hoc quidem sensu catenam illam auream fingi, qua omnes deos deasque ad se attrahat summus universi mundi rector, quin ab ipsis ullo modo de statu suo moveri possit: nam quod omnino et per se sit immobile, a nullo alio moveri posse [2]. Non absimili modo etiam Oceani fabula utitur ad significandas perpetuas illas vaporum e terra exeuntium et in pluviis redeuntium vices, quas ubi exposuit, addit: si antiqui Oceani nomine tanquam involucro uterentur, hunc ipsum fluvium eodem nomine significare voluisse vaporum et aquarum ubique in terra et circa terram nascentium

---

[1]) De animal. mot. c. 3. p. 699. et De coelo II. 1. Quibus locis addendus est tertius locus Metaphys. IV. 23 ubi explicat Aristoteles, quo sensu apud poetas Atlas τὸν οὐρανὸν ἔχειν dicatur. Non neglexerunt hos locos Aristoteleos visi docti qui nuper de Atlante disputarunt Letronnius, Rechettus, G. Hermannus, alii. V. G. Hermann. De Atlante. Opuscul. Vol. VII. p. 247 et p. 255.

[2]) De motu animal. cap. 4. Cf. Creuzer. Symbol. Vol. I. p. 97.

eoque relabentium [1]). Alia eius generis ne longior sim consulto missa facio.

Hactenus de fabulis sacris sive mythis. De sacris autem ritibus ab Aristotele ad philosopham rationem revocatis pro exemplo esse potest quod de ternario numero in precationibus et caerimoniis frequentato affert. Ubi enim de tribus spatii dimensionibus (linea, superficie, corpore) docuit, facta Pythagoreorum mentione qui omnia ternario numero absolvi dicerent, ideo, inquit, secundum legem a natura ipsa acceptam in deorum caerimoniis hoc numero utimur [2]). Ad eundem de sacris ritibus locum pertinet, quod philosophus vim canticorum sacrorum enthusiasmum moventium medicam et animi affectuum emendatricem agnoscit [3])

Neque exempla desunt, quae arguunt, quam apte in doctrina morali Aristoteles et ritibus patriarum religionum et fabulis usus sit; ut cum docet ideo Gratiarum signa in urbium foris collocari solere quod nonnisi mutua beneficiorum communione concordia civium et salus publica conservetur [4]). Inprimis vero huc pertinet praeclarus ille de Sileni responso locus ex Aristotelis dialogo, qui inscribitur Eudemus, apud Plutarchum servatus, quo quidem loco Aristoteleo tanquam pretiosa gemma hunc orationis meae textum distinguendi veniam peto [5]). Silenus igitur, ut Aristoteles narrat, a Mida

---

[1]) Meteorolog. I. 9. p. 347. a. 5.

[2]) De coelo, I. 1. p. 268. a. 14. .

[3]) Polit. VIII. 7, 5. p. 333. Ed. Schneid.

[4]) Ethic. Nicom. V. 5, 7.

[5]) Plutarch. Consolat. ad Apollon. p. 115. B. Vol. I. p. 454. Ed. Wyttenbach. Creuzer. Stud. II. 234. 303. De eadem Sileni

rege captus sciscitanti ei quidnam optimum homini maximeque expetendum esset, principio respondere noluit vocemque compressit, tandem cum urgendi ut aliquid diceret finem nullum Midas faceret, in haec invitus verba erupit: Heu vos homunciones aerumnosi genii et difficilis fortunae filii, quorsum me cogitis ea vobis dicere, quae vobis nescire erat melius? Maxime enim vacantes dolore vivunt, qui sua ignorant mala. Hominibus autem omnino optimum est non nasci; proximum huic et inter ea quae homo possit consequi primum est, quam celerrime mori. Manifestum est — (Aristoteles addit) — sic Silenum pronuntiasse, quod melior sit mortuorum quam vivorum conditio. Egregie quidem, si ea est huius doctrinae sententia, ut hanc terrenam vitam et mortalem prae illa altera aeterna et immortali ne iusto pluris aestimemus, sed nimis triste et acerbe, si haec vita, quam nunc agimus, spei omnis et solatii plane expers habeatur. Sed constat, similes querelas etiam aliis veterum scriptorum locis haberi quae significent in media hac vigoris et laetitiae plena antiquorum populorum vita hominum animos non acquievisse et nova quasi solamina desiderasse [1]).

---

fabula coram Mida vaticinantis, artis operibus expressa. V. Gerhard, Archaeolog. Zeitung, 1844. p. 388. 1845. p. 87.

[1]) Totum hunc locum ingeniose tractavit Petrus Ernestus de Lasaulx in Commentatione De mortis dominatu in veteres. Monaci. 1835 ubi nec huius loci Aristotelei oblitus est pag. 46. Quae praetermisit, ut Ceiorum consuetudinem hanc vitam tam parvi facientium atque Prodici sophistae doctrinam de huius vitae conditione miserrima et omni nostra spe in beata aeternitate ponenda, alia quaedam, suppleri possunt e Welckeri doctissima de Prodico disputatione. Neues Rhein. Mus. I. 3. p. 608 sqq. „Von Leben, Tod und Unsterblichkeit."

Iam summam eorum ducamus quaecunque adhuc a me disputata sunt, unde haec mihi satis clare apparere videntur. Aristoteles igitur patrias Graecorum religiones populares non fastidivit, non contemsit, non parvi fecit, sed et in vitae usu secutus est et curiose investigavit, descripsit, explicuit: neque in iis solum mera poetarum mendacium ludibria aut inanes et foedos anilium superstitionum errores deprehendere sibi visus est, sed saniores sententias et graviora rerum argumenta his popularium fabularum involucris includi iudicavit quae ut data occasione vel castigando vel apte interpretando emendare studuit, ita ad philosophas rationes revocare et suam ipsius doctrinam ope earum explicare et confirmare non est aspernatus; denique tantum religionibus in universum tribuit, ut vel optimam illam suam civitatem, quam non ex verae vitae usu sed ad speciem perfectioris humanitatis mente conceptam expressit, non philosophiae qualicunque sed his ipsis patriis religionibus superstruxerit atque nonnulla in iis etsi non optima retineri quam universas everti mallet.

Disputatione quam institueram ad finem perducta ad muneris a me adeundi commemorationem oratio mea, unde exorsa est, revertatur oportet. Recipite igitur me in coetum vestrum, viri doctissimi, honoratissimi omnium ordinum collegae, pro humanitate vestra et pro ea officii necessitudine, quae inter omnes eiusdem universitatis consortes intercedere debet. Quem fructum rebus nostris labor meus allaturus sit, dies doceat et alii iudicent; sed ut futurum muneris suscepti successum in me recipere non audeo, ita hoc satis confidenter iam nunc Vobis spondeo, me omni virium intentione

structa sunt, introspicere potest. Atque haec est vestra praerogativa, hic est vester fructus liberalis institutionis puerilis, qua imbuti estis, et legitimi studiorum cursus, dummodo humanitatis studia cum reliquarum disciplinarum quibus nunc operam navatis, tractatione quantum fieri potest copulare pergatis.

Sed cum iam ad clausulam oratio mea pervenerit, nihil aliud nunc reliquum est, quam vota solennia nuncupare, a quibus munus mihi demandatum auspicari par est, primum pro Principe nostro, Magno duce Leopoldo eodemque augustissimo huius academiae Rectore, ut salvus, salva domo augusta quam diutissime regnet; deinde pro eorum salute omnium qui nunc vel docendi vel discendi causa universitati nostrae adscripti sunt, ut studiorum rectam semper viam teneant et uberrimos fructus nanciscantur; postremum pro hac ipsa universitate nostra, Ruperto-Carolina, ut in omne aevum et professorum doctrina optimaque in studiis regendis ratione et auditorum frequentia non minus quam industria bonisque moribus excellat, atque ut vere sit stabile disciplinarum, virtutis, religionis domicilium et saluberrima officina in perpetuum duratura.

---

universitatis nostrae utilitati et decori operam esse navaturum atque collegam me Vobis sincerum et fidum esse praestiturum. Atque etiam professorem talem, comilitones ornatissimi, id est sincerum et fidum me Vobis praestabo nec ulli labori ad commoda vestra promovenda parcam. Praecipue huius legis perpetuo memor ero, quae praeceptores iubet veris et perpetuis auditorum commodis consulere, non opinionum ludibriis servire nedum malis artibus et seculi vitiis blandiri. Neque tam meam professoris personam quam professionis meae munus et materiam Vobis, commilitones, commendari velim, Graecorum et Romanorum artes dico et literas, ad quas explicandas in collegarum doctissimorum, qui eadem studia profitentur, consortium adscitus sum. Quod praesertim ad antiquae artis opera attinet, ad quae cognoscenda viam Vobis monstrare conabor, nihil iis ad voluptatem gratius, nihil ad vivam quasi antiquitatem et spirantem cognoscendam fructuosius esse, non est quod pluribus verbis demonstrem. De graeca autem et romana antiquitate in universum sic habetote. Ut nostra aetas in natura perscrutanda et ad vitae usus subigenda antiquum aevum superat, ita hodieque in religionibus, in rerum publicarum legibus et institutis, in literis et artibus cognoscendis et diiudicandis nemo absque antiquarum literarum cognitione ultra vulgus sapere potest; non perinde ac si is qui graece et latine calleat continuo omnium harum rerum scientiam et usum adipiscatur, sed praeclarum et plane necessarium instrumentum sibi comparavit, quo totius aevi memoriam suis oculis perlustrare et fundamenta, super quae recentiorum populorum instituta, leges, literae quasi ex-

structa sunt, introspicere potest. Atque haec est vestra praerogativa, hic est vester fructus liberalis institutionis puerilis, qua imbuti estis, et legitimi studiorum cursus, dummodo humanitatis studia cum reliquarum disciplinarum quibus nunc operam navatis, tractatione quantum fieri potest copulare pergatis.

Sed cum iam ad clausulam oratio mea pervenerit, nihil aliud nunc reliquum est, quam vota solennia nuncupare, a quibus munus mihi demandatum auspicari par est, primum pro Principe nostro, Magno duce Leopoldo eodemque augustissimo huius academiae Rectore, ut salvus, salva domo augusta quam diutissime regnet; deinde pro eorum salute omnium qui nunc vel docendi vel discendi causa universitati nostrae adscripti sunt, ut studiorum rectam semper viam teneant et uberrimos fructus nanciscantur; postremum pro hac ipsa universitate nostra, Ruperto-Carolina, ut in omne aevum et professorum doctrina optimaque in studiis regendis ratione et auditorum frequentia non minus quam industria bonisque moribus excellat, atque ut vere sit stabile disciplinarum, virtutis, religionis domicilium et saluberrima officina in perpetuum duratura.

SACRA NATALITIA

DIVI CAROLI FRIDERICI

MAGNI DUCIS BADARUM REL.

DIE XXII. NOVEMBRIS MDCCCLI

AB

ACADEMIA HEIDELBERGENSI

RITE PIEQUE CELEBRATA

SIMULQUE

PRAEMIA COMMISSIONIBUS VICTRICIBUS DECRETA

ET

NOVAS QUAESTIONES PROPOSITAS

RENUNCIAT

CAROLUS ZELL,

PHIL. DR. PROFESSOR P. O. MAGNO DUCI BAD. A CONSILIIS AULAE INTIMIS, ORDINIS LEONIS ZARINGICI EQUES. UNIVERSITATIS H. T. PRORECTOR.

PRAEMITTITUR

DISSERTATIO DE MIXTO RERUM PUBLICARUM GENERE GRAECORUM ET ROMANORUM SCRIPTORUM SENTENTIIS ILLUSTRATO.

Quando quis nostrum die festo, quem hodie celebramus, non ita pridem verba erat facturus, unam potissimum curam habebat materiae convenientis, de qua disputaret, inveniendae. Nunc autem, ex quo antiquus linguae latinae usus in eiusmodi solemnibus academicis

deseri coeptus est, duplex deliberatio ex hac cathedra dicturis suscipienda est, altera de apta materia quaerenda, altera de sermone quo utantur deligendo. Suam quisque de hac re sive opinionem sive sententiam tueatur; ego quidem ab eorum partibus sto, quibus haec nova antiqui moris immutatio non satis placet. Cur enim hoc commune universae rei publicae literariae vinculum per totum terrarum orbem diffusae revellatur? Cur antiquae doctrinae adhuc servata cum recentiori eruditione perpetuitas dissolvatur? Cur denique viva illa romani oris vox tot saecula personans nunc plane obmutescat, praesertim quum nec popularis eruditio nec patrii sermonis honor e continuato linguae latinae inter viros doctos usu quidquam detrimenti passurus sit? Nam et plurimae aliae viae sunt populi erudiendi, et, ut medium quod dicitur aevum taceam, quo poesis certe quidem vernacula laetissime effloruit sermone latino in scholis literariis regnante, etiam saeculo proxime praeterlapso latinus sermo in academiis frequentatus non impedivit, quo minus vernaculae literae felicissimo successu colerentur et exornarentur. Neque difficultas antiquo sermone nova inventa tractandi tam magna est, dummodo puerilis ad linguam latinam addiscendam institutio non ieiuna regularum grammaticarum subtilitate, ut nunc plerumque fit, sed maiorum nostrorum more potissimum usu et exercitatione nitatur, neque nos qui latine loquimur vel scribimus anxia Ciceronianae latinitatis imitatione impediamur. Neutiquam enim linguam latinam linguis plane mortuis et ad internecionem deletis adnumerari fas est, quippe quae, etiamsi populus latine loquens non amplius inveniatur, tamen inde a

veterum Romanorum aevo non interrupta usus perpetuitate in religionum et doctrinae sacrariis voce et stilo frequentata perduret. Suam igitur cuique aetati latinitatem permitti par est, modo barbarismorum et soloecismorum sordes absint et debitus genio linguae honor servetur. Accedit quod hac ipsa nostra aetate vel mulierculae nostrates et pueruli pluribus peregrinis sermonibus confabulari discunt, ut segnitiae vituperium literarum studiosi merito incurrant, si sermonem latinum omnium reliquarum linguarum in commercio literario vicarium addiscendi molestiam reformident. Sed utut hoc est, ego quidem mori maiorem et muneris mei professioni in antiquis literis explicandis occupati deesse nolui, atque dum antecessoris mei in honore prorectoratus exemplum sequens latino sermone aurium vestrarum, auditores honoratissimi, fastidium tento, me a vobis si non laudem, certe veniam impetraturum esse spero. Nolite vero metuere, etiamsi laudator sim latini sermonis, ne latinae scilicet eloquentiae vos quasi flumine inundem; sed simplici potius et quantum potero dilucida oratione argumentum aliquod ex antiquis literis petitum, quod neque a nostrae aetatis rationibus alienum sit, brevi sum disputatione tractaturus.

Sunt nimirum in quavis doctrina atque adeo in omni vitae usu certae quaedam opiniones, commenta, praecepta, quae per saeculorum succedentium aevum propagantur, quarum quidem primam originem investigare et persequi progressus haud parvi refert. Eius generis est in prudentia civili sive scientia politica praeceptum illud de praestantia formae rerum publicarum permixtae e tribus illis generibus monarchiae, aristocratiae et democratiae,

atque singulis generibus simplicibus et separatis sive ut nunc dicere solemus absolutis longe anteferendae. Meministis, auditores, anglicae rei publicae constitutionem huius ipsius permixtionis et temperamenti nomine potissimum laudari solere; atque romanae rei publicae formam similiter apud Ciceronem in libris de re publica hanc ob causam potissimum commendari legimus primum quod non unius sit ingenio sed multorum, nec una hominis vita sed aliquot constituta saeculis, tum quod respublica quartum genus prae se ferat maxime probandum ex illis generibus moderatum et permixtum tribus. [1]) Quare operae pretium mihi facturus videor, si brevi adumbratione proposuero, quid graeci scriptores, unde omnis doctrinae politicae ratio manavit, et quid romani de hac forma civitatum permixta senserint docuerintque. Quae quidem mea disputatio fortasse hanc ob causam auribus vestris non plane indigna videbitur, quia hic locus ab iis, qui historiam scientiae politicae tractarunt, nondum data opera, quantum scio, est perpolitus.

Primum vestigium huius de genere rei publicae mixto notionis neque tamen clare expressae sed obscurius significatae, in brevi sententia reperio Soloni adscripta, qui, quum septem illi sapientes de optimo regii imperii genere interrogarentur, dixisse fertur: optime regem agere, si democratiam ex monarchia efficeret. Nam cum irrisione sapientem dixisse, optime regem facturum esse si regno se abdicaret et statum popularem civibus impertiretur, ideo non putaverim, quod reliquorum omnium

---

[1]) Cic. De Republ. II, 1. et 23.

sapientum coniunctae sententiae rem serio tractant, neque de regno abolendo sed emendando et stabiliendo ibi sermo est; ut Solon potius regni aliquam cum statu populari complexionem et temperamentum commendasse mihi videatur [1]).

Accuratiorem de trium generum temperamento doctrinam primi exponunt duo scriptores nobilissimi, Hippodamus Milesius et Archytas Tarentinus, uterque Pythagoreus, quorum fragmenta dorice conscripta inter Pythagoreorum reliquias habentur a Ioanne Stobaeo servatas. Videamus primum de Hippodamo, cuius fragmenta ex operibus binis De re publica et De vita beata a multis pro suppositiciis habentur neque tamen vere ita esse certis adhuc argumentis mihi demonstratum esse videtur; fragmentorum autem ipsorum ea est indoles, eae sunt virtutes, ut non facile eiusmodi fraudi perpetrandae parem inveneris falsarium [2]). Ibi igitur

---

[1]) Plutarch. Conviv. septem sapient. cap. VII. ... ὁ Σόλων Ἐμοὶ μὲν ἔν, ἔφη, δοκεῖ μάλιστ' ἔνδοξος γενέσθαι καὶ βασιλεὺς καὶ τύραννος, εἰ δημοκρατίαν ἐκ μοναρχίας κατασκευάσειε τοῖς πολίταις.

[2]) Ne doctissima quidem Caroli Friderici Hermanni Disputatio De Hippodamo Milesio (Marburgi, 1841) rationes huius quaestionis diiudicandae plane confecisse mihi quidem videtur. Singula rei momenta pensitare non est huius loci; de diversitate, quae inter Aristotelis locum (Polit. II, 5) et haec fragmenta deprehenditur, haec bina tantum in universum significaverim: primum, Aristotelem non plenam et accuratam Hippodameae civitatis descriptionem proponere voluisse sed potiora tantum capita, quae sibi memoratu dignissima visa essent, inde decerpta (τὰ μὲν πλεῖστα καὶ τὰ μάλιστα ἀξιόλογα ταῦτ' ἐστίν l. l. p. 49. lin. 18. Ed. Goettl.); deinde divisionem civium tripartitam apud Aristotelem non tantopere discrepare a fragmentorum ratione, quanto prima fronte videatur. Nam tres Aristotelis

Hippodamus sive verus sive personatus postquam a sophistis caveri suasit, invenum praeceptoribus, qui leges patrias et religiones convellere audeant, qua labe admissa neque veritatem certiorem neque vitam hominum tutiorem honestioremve evasuram esse, sed plerumque maiorem caliginem et confusionem mentibus illapsuram, instituit docere sic: legibus optime rem publicam tum confirmari, si ex omnibus rerum publicarum generibus, sed bonis illis quidem et salutaribus, permixta sit, tyrannide et oligarchia exclusis. Itaque, inquit, primum genus regale sive imperium regium civitati inseri oportet; tum optimatium imperium. Sed quum regium imperium res sit ad numinis quasi imitationem comparata, ideoque integrum et rectum ab humano ingenio aegre servari possit: regnum non est instituendum plane arbitrarium nullisve finibus circumscriptum, sed tale quale ingenium humanam ferat et rei publicae conducat. Aristocratia sive optimatium potestas largius est in civitate admittenda, quod plures sunt in unaquaque cives, qui honores potentiamque et quaerant et mereantur, ne

---

ordines (*τεχνῖται*, *γεωργοί*, *τὸ προπολεμοῦν*), qui nonnisi binos trium ordinum in fragmentis complectuntur (*τὸ βάναυσον* et *τὸ ἐπίκουρον*); ex ipsius Aristotelis mente nonnisi plebem (*πλῆθος*, *δῆμον*) constituere videntur extra optimates, e quibus magistratus plebis suffragiis crearentur, quique tertium Hippodami ordinem (*τὸ βουλευτικὸν*) efficerent. (Aristoteles l. l. *τὸς δ' ἄρχοντας αἱρετὸς ὑπὸ τοῦ δήμου εἶναί πάντας. δῆμον δ' ἐποίει τὰ τρία μέρη τῆς πόλεως, τὸς δ' αἱρεθέντας ἐπιμελεῖσθαι κοινῶν καὶ ξενικῶν καὶ ὀρφανικῶν.*) Differentia utique residua est, sed non maior, quam quae ex Aristotelis studio brevitatis vel errore aliquo, quem „incuria fudit Aut humana parum cavit natura", explicari possit.

singulorum de individuo et summo imperio certamen pericula pariat. Democratico autem sive populari genere prorsus carere non possumus, quum quisque civis ut rei publicae pars est, ita etiam honoris aliquid et commodi inde nancisci debet. Cohibenda tamen est democratia certis finibus, quia multitudo hominum praeceps est in agendo et temeraria [1]).

Haud minus insignis est Archytae Tarentini de eadem re doctrina in libris De lege et De iustitia olim exposita, quorum luculenta fragmenta supersunt. Archytas ibidem disertis verbis ita censet: oportere et leges et rem publicam ex omnibus tribus generibus conflari, ut habeat aliquid ex democratia, item ex oligarchia, nec minus ex aristocratia et monarchia, quemadmodum Lacedaemoniorum respublica mixta et temperata sit. Atque leges oportere non solum omnino bonas esse et honestas, verum etiam reciprocare (ἀντιπεπονθέναι) debere diversas inter se reipublicae partes, imperandi et obediendi vicibus bene temperatis [2]).

Sed iam ad eos magistros doctrinae politicae transeamus, quorum non pauca fragmenta sed integra volumina eaque praclarissima habemus, Platonem dico et Aristotelem. Plato igitur, Archytae aequalis, in celebratissimis illis de re publica libris, quibus universae vitae civilis adeoque humanae causas recludit, etsi

---

[1]) Hippodamus apud Stobaeum Sermon. XLI. T. II. p. 112. Ed. Gaisford. Lips.

[2]) Archytae fragm. apud Stobae. Sermon. Tit. XLII, 132. T. II. p. 146. 147. Gaisford. Lips. Hartenstein De Archyta p. 64. haec fragmenta ad doctrinam politicam pertinentia pro genuinis habet.

diversas rerum publicarum formas mira arte describit, tamen hoc permixtum e tribus genus neque accuratius exponit, neque tanquam exemplar imitandum in rebus publicis constituendis proponit; quod non est cur miremur. Nam in exemplari rei publicae ab eo proposito, quae non tam forma est ad vitae usum accomodata quam species a divino eius ingenio profecta, totam civitatem viris sapientibus ad hoc munus a pueritia institutis et aetatis maturitate comprobatis regendam tradit nullo legum vinculo impeditis, sed pro sua sapientia et virtute et se ipsos et reliquos binos civium ordines, opificum et militum, regentibus. Aliter res se habet in libris De legibus, quibus propius ad vitae veritatem accedit atque rempublicam informat ad Cretensium et Lacedaemoniorum instituta expressam, eamque certis legibus et in omnes fere vitae partes pertinentibus instruit. Ibidem hoc permixtum genus et temperatum luculenter exponit atque commendat. Quum enim in causas inquirit, cur Argi et in Messenia regium imperium non tam firmum duraverit quam Lacedaemone, hanc eius rei causam affert, quod regum Lacedaemoniorum permixta fuerit aliis generibus et temperata potestas, primum inter binos reges partita, tum etiam senatus et Ephororum potestate accedente moderata [1]. Quam rem postquam exposuit philosophus in hunc fere modum pergit: Omnino binae tantum sunt rerum publicarum formae penitus distinctae, originariae et omnium reliquarum formarum quasi genitrices, monarchia et democratia, quarum altera apud Persas, altera apud

---

[1]) Plat. De legib. III, 11. p. 110. Ed. Ast.

Athenienses ad absolutionem perfectionemque pervenit et ad extremos generis sui fines progressa est. Iam vero Persicae monarchiae purae illius quidem et absolutae, optimus status erat et optimi reges, quoties adstricta regii imperii severitas, quamvis exigua libertatis specie et popularitate temperaretur, ut Cyro et Dario regnantibus contigit. Quorum utriusvis filii, Cambyses et Xerxes, in aula et in immoderata potentia educati, quum hoc temperamentum adhibere dedignarentur, regnum continuo in deteriorem conditionem adducebant. Atque rursus ut Persici reges nimiae dominationis ita Atheniensium civitas status popularis sive democratiae purae, absolutae, et quasi meracae exemplum dedit, quo demonstraret, neque libertatem posse admixtione aliqua et temperamento carere. Nam ex quo antiquae libertatis Atticae temperamentum, aristocratia prudenter admixta, post persica bella turbari ob nimiam plebis potentiam coepit, continuo mores depravabantur et res publica moribus depravatis in perniciem ruit [1]).

Devenimus iam ad Aristotelem, quo inter omnes omnium aetatum scriptores nemo maiore ingenii acumine aut eruditionis copia doctrinam politicam tractavit, ut ipso praestantiorem in hac doctrina praeceptorem reperire non possimus, sed ad quem intelligendum severiori studio et opera non perfunctorie collocata vel duce viam quasi commonstrante opus sit. Neque enim verbosa facilitate lectorem invitat neque orationis pompa aut lenociniis captat, sed verborum in maxima sententiarum densitate parcissimus iudicandi acumine

---

[1]) Plato De legg. III, 12. p. 112.

et ubertate rerum excellit. Quapropter mirari interdum subit, Aristotelis politica inter nos plerumque vel ab iis negligi, qui legibus et iuribus cognoscendis data opera student et ipsi aliquando leges rerum publicarum condituri, iura dispensaturi sunt. Adeo nunc literarum studiosi aliis studiis vel magis necessariis vel magis amoenis detinentur, nonnulli fortasse etiam iuvenilis aetatis superbia quadam et ignoratione rerum impediuntur quo minus antiqui aevi sapientiae cognoscendae vacare possint velintve. Sed in viam redeamus, unde Aristotelis studium et admiratio me fortasse non satis opportune devertit, et videamus quid philosophus de genere rerum publicarum permixto docuerit, ubi primum de Aristotelis formarum rei publicae divisione verbo monuero.

Aristoteles igitur ex communi consuetudine tria rerum publicarum genera statuit, regii imperii sive monarchiae, aristocratiae, et tertium genus eius civitatis, qualem ipse *πολιτείαν* plerumque vocat vel etiam ex censu *τιμοκρατίαν*, nos proprio vocabuli sensu rem publicam sive democratiam appellare consuevimus. Iam singula haec genera probabilia declarat et pro re nata admittenda, dummodo communem omnium civium utilitatem servent et ad humanitatis perfectionem sive vitam beatam, quantum fieri potest, contendant; in universum autem horum trium generum optimum habet imperium regium, ultimo loco popularem statum ponit. His tribus generibus probabilibus et bonis totidem sua cuique finitimae sunt degenerationes sive aberrationes (*παρεκβάσεις*): regio imperio tyrannis, aristocratiae oligarchia, politiae sive timocratiae, id est bono statui populari,

munem utilitatem gerendae atque verae iustitiae ex rerum usu non ex verborum formulis tuendae obstent. Quapropter multo praestare dicunt, hominis benevoli et vel per se sapientis vel aliorum consilio adiuti, id est regis, voluntati et iudicio committere civitatis tranquillitatem et salutem tuendam, legum vinculis non impedito, quam inanimato et quasi caeco legum generalium imperio et immutabili nec ad rerum varietatem accommodandae necessitati se tradere. Contra hanc sententiam imperii regalis absoluti commendatricem Aristoteles ita fere disserit: isti legum defectui, qui ex generalium praeceptionum natura existit, quam plurimum iudices et magistratus medentur, quorum ope generalia legum praecepta singulis personarum et rerum conditionibus accommodantur. Tum recta ratio in omni re eo tutius servatur, quo longius animi perturbationes absunt. Haec ipsa autem ab animi perturbationibus vacatio in legem inanimatam cadit, in hominem non cadit. Qui legi imperium tribuit, numini quasi divino tribuit ab omnibus perturbationibus libero; qui homini soli legibus soluto tribuit, beluam quasi adiungit, quum animi humani cupiditates et perturbationes beluis conferendae sint, quibus haud raro vel optimi viri imperium assecuti a recta via detorquentur. Lex est mera ratio, affectuum et perturbatianum expers. Denique contra naturam est, uni soli tam immoderatum in omnes reliquos cives imperium tribui, quorum multi natura, indole, virtutibus non tanto intervallo ab imperante distant. Ut ciborum et vestimentorum aequalis mensura inaequalibus corporibus non convenit, aequalia autem corpora aequalem mensuram exigunt: idem in honore

et potestate distribuenda valere debet. Tum demum regium imperium plane nullis legibus obstrictum probandum sit, siquis unus heroica quasi virtute et communem humanitatis mensuram transgressa tantopere emineat, ut reliquos omnes quam maximo intervallo infra se positos habeat. Qua quidem postrema sententia philosophus Alexandrum regem, disciplinae suae alumnum, fortasse significavit, qui hoc ipso intervallo supra Macedonum suorum multitudinem et exterarum nationum barbariem ingenio et heroica virtute elatus esset [1]. Neque minus Aristoteles alio loco censet, regali imperio temperamentum aliquod esse adhibendum, quum docet, civitatum formas omnino conservari temperamento aliquo e contrariis addito, itaque etiam regale imperium hac ratione firmari, si libertatis aliqua admixtione potestas regia remittatur. Quam viam Theopompum Lacedaemoniorum regem iniisse narrat Aristototeles, qui quum regiam potestatem ephoros instituendo temperasset, reprehensus ab uxore quod regnum a patre acceptum filiis deminutum traditurus esset, Nequaquam, inquit, deminutum: nam diuturnius futurum filiis tradam [2].

Etiam reliqua bina rerum publicarum genera, optimatum imperium sive aristocratiam et democratiam, dummodo bene constituta sint, permixtione quadam et temperamento contineri Aristoteles ita demonstrat. Nimirum finis vel principium primarium aristocratiae virtus est, oligarchiae census, democratiae libertas. Iam si

---

[1]) Aristotel. Polit. III, 10 et 11.

[2]) Aristotel. Polit. V. 9 ineunte.

haec terna elementa virtutis, divitiarum, libertatis apto temperamento copulantur, ut sua cuiusque ratio constet, tum solummodo vera aristocratia efficitur, quae nulla alia est, quam iusta horum trium elementorum mixtura [1]).

Quodsi bina tantum horum elementorum inter se apta ratione permiscentur, census et libertas, laudabilis ille status popularis efficitur, quam politiam sive timocratiam Aristoteles appellat. De hac ipsa autem permixtione, politiae bonum genus sive popularem statum probabilem efficiente, philosophus copiose et singulari cum cura hunc fere in modum exponit.

Triplex est oligarchiae et democratiae sive census et libertatis, permiscendarum, ut inde politia efficiatur, ratio. Prima ratio haec est, ut ex aliquo utriusque de eadem re instituto tantum eius instituti alteram partem utrinque sumas coniungendas, alteram relinquas. Exempli causa in oligarchiis poenae ditioribus civibus imponuntur si iudices in iudiciis popularibus habendis non compareant, pauperibus merces pro munere iudicis obeundo non praebetur. In democratiis contra pauperioribus civibus eiusmodi merces iudicibus praebetur; ditiores poena ad iudicum munera obeunda non coguntur. Iam media et iusta mixtio politiae in iudiciis constituendis haec est, ut alterutra pars utrinque sumta copuletur, id est, ex oligarchia poena ditiorum iudicum, qui officio suo desunt, ex democratia pauperioribus iudicibus quo diligentius iudiciis intersint proposita merces. Alterum mixtionis genus bina instituta ex oli-

---

[1]) Aristotel. Polit. IV. 6.

garchia et democratia ita coniungit, ut servetur utrumvis, sed tertium quoddam novum institutum medium inter oligarchicum et democraticum addatur, quale hoc est. In democratia plane nullus requiritur ad comitia participanda census; in oligarchia permagnus; iam in politia neque nullus neque permagnus sed modicus exigitur census. Postremum tertia permiscendi ratio ea est, ut non diversae eiusdem instituti partes utrinque, ex oligarchia et democratia, seligantur inter se coniungendae; sed diversa instituta et sibi contraria utrinque desumta copulentur. Democratica, exempli causa, res est, in magistratibus creandis sorte uti nec ullum censum exigere; oligarchorum est, eligi magistratus non sortiri, et censum simul exigere. Iam politiae sive probabili democratiae generi accommodatum erit, ex alterutra alterutrum seligere institutum et inter se confundere, ex oligarchia magistratuum electione non sorte creationem, ex democratia census in eligendis magistratibus omissionem. Permixtionis autem oligarchiae et democratiae apte ad politiam efficiendam temperatae hoc erit documentum, si eiusmodi politia ab aliis oligarchia, ab aliis democratia appellabitur, quum ita appareat, haec bina genera in politia rite coaluisse; qualis Lacedaemoniorum erat respublica modo oligarchiae modo democratiae nomine appellata. Alterum bonae permixtionis et commodi in politia temperamenti documentum hoc est, si eiusmodi politia suis ipsius viribus nixa, civibus statu rei publicae contentis, servetur et sustentetur, neque ulla extranea ope et auxilio ad sui conservationem eget [1]. Eadem rectae permixtionis

[1] Aristotel. Polit. IV. 7.

ratio in politia constituenda etiam hoc modo perspici potest. In omni enim civitate discrimina sunt qualitatis et quantitatis: qualitatem dico ut libertatem, censum, doctrinam, natales; quantitatem dico numerum eorum, qui haec bona vel participant vel iisdem carent. Iam ad stabilem et diuturnam politiam condendam, hoc ante omnia spectandum est, ut haec qualitatis et quantitatis discrimina iusta proportione in imperio constituendo exaequentur. Nam si nulla census et doctrinae ratione habita quilibet tantundem in re publica gerenda valet atque si penes maiorem numerum et imperitam multitudinem imperium est, tum mera democratia existit, perversum et iniustum rei publicae genus, politiae degeneratio. Sin pauci, opibus, natalibus, doctrina praecellentes soli imperium tenent et quasi dominantur, omni reliqua civium multitudine exclusa, tum oligarchia efficitur, non minus perversum genus neque diuturnum, quia tam numerosa civium multitudo a paucis dominis sibi imperari, quin ipsi aliquam imperii partem habeant, non diu patiuntur. In bono autem illo et laudabili genere politiae ab his binis extremis generibus aeque reducto, neque civium multitudo ab imperii participatione excluditur et minor numerus praestantiorum civium ob hanc ipsam excellentiam iusto libramento vel maiori civium numero aequiparatur; sed maximam imperii vim in civibus medii inter pauperrimos et ditissimos census sitam esse oportet, sine quorum pondere intermedio aut pauperes praevalituri sunt contra ditiores eosque oppressuri, aut invicem opulentiores cives contra pauperes [1]). Quo melior autem haec permixtio, quo

[1]) Aristotel. Polit. IV. 10.

aptius hoc temperamentum efficitur, eo magis diuturnus et inconcussus permanet civitatis status. Ab iis qui aristocratiam sectantur haud raro peccatur non solum quod optimatibus plus aequo tribuunt, sed etiam quod insuper plebem offendunt. Plebis in bene temperata politia ratio habenda est his quinque partibus: in ecclesia sive comitiis participandis; in magistratibus eligendis; in iudiciis constituendis; in armorum usu et in puerili institutione regendis. Comitiis interesse omnibus civibus omnino liceat; poena si non intersint solum divitibus imponatur. Munera publica magistratuumve honores detrectare iis civibus, qui sufficientem habent censum, ne liceat, pauperioribus liceat. Idemque de iudiciorum popularium participatione valeat. Ad armorum usum et gymnasiorum institutionem omnibus aditus pateat, hac tamen conditione, ut pauperibus et a militia et a gymnasiis abesse sine ulla poena publice sancita liceat; ditioribus autem ne liceat. In democratia rursus pauperioribus civibus, qui vel comitiis vel iudiciis intersint mercedem largiuntur, ditioribus si desint poenam non imponunt. In politia autem bene temperata utrumque faciendum est, ut pauperibus si adsint merces tribuatur, ditioribus si desint poena imponatur, quo fit, ut omnes cives vel plurimi certe quidem concionibus et iudiciis intersint, alioquin nonnisi alterutri, aut ditiores ut in oligarchia fieri solet, aut plebis pauperioris multitudo, ut in democratia. Militiam capessere et publica arma tractare non omnibus qui in civitate vivunt liceto, sed tantum iis qui optimo iure cives sint et aliquam habeant rei publicae administrandae partem, ad quam rem census aliquis

definiendus est, neque ille quidem admodum grandis, ut civium numerus arma publica et munera rei publicae participantium semper maior sit, quam eorum civium qui his iuribus carent [1]. Causa et origo eorum malorum, quibus vel politia vel aristocratia intereat, plerumque haec est quod non apte et prudenter miscentur in politia quidem oligarchicum et democraticum genus, in aristocratia praeter eadem bina genera insuper virtutis tanquam tertium his binis generibus accedens elementum. Atque politia quidem praeut in hac non satis exacta mixtione vel oligarchicum genus vel democraticum praeponderat, ita in alterutram degenerationem corrumpitur [2].

De summo peripateticae sectae auctore nunc oculos convertamus in nobilissimum rerum scriptorem Polybium, quum ex interposita inter utrumque aetate scriptor non supersit cuius hoc loco ratio habeatur [3]. Iam ut Aristoteles non paucas affert sententias et praecepta de mixtis rerum publicarum generibus peracuta ille quidem et perquam memorabilia, sed nonnunquam significata potius quam uberius enarrata, ita Polybius huic

---

[1]) Aristotel. Polit. IV. 10.

[2]) Aristotel. Polit. V. 6.

[3]) Ex coniectura Frid. Osanni argumentis probabilibus confirmata (Beiträge zur griechischen und römischen Literaturgeschichte B. II. p. 8 sqq.) Dicaearchus, Aristotelis auditor, in libro deperdito qui inscriptus erat *Τριπολιτικος* genus rei publicae e tribus generibus permixtum commendabat; indeque *εἶδος πολιτείας δικαιαρχικὸν* a Photio Cod. 37. commemoratum hoc ipsum genus mixtum intelligendum suspicatur Osannus. Sed haec omnia etiamsi docte excogitata propter obscuratam rerum memoriam plane incerta sunt.

de genere mixto doctrinae, tanquam fundamento, totum suum prudentiae civilis sive politicae systema superstruxit [1]).

Ac primum quidem etiam Polybius sex omnino rerum publicarum genera ut Aristoteles enumerat, sed nominibus aliquantum ab Aristotele recedens, tria probabilia, regnum (βασιλείαν), imperium optimatum, statum popularem, quem quidem ex nostra consuetudine δημοκρατίαν, nec Aristotelem sequens πολιτείαν et τιμοκρατίαν vocat; item tria mala et perversa genera, probabilium degenerationes: regii imperii sive βασιλείας degenerationem, quam ipse vocat μοναρχίαν, Aristoteles tyrannidem; deinde aristocratiae degenerationem oligarchiam, postremum democratiae ochlocratiam, quam quidem Aristoteles democratiam nominat. His sex generibus propositis summum praeceptum hoc pronuntiat: optimam omnino omnium rerum publicarum formam eam habendam esse, quae sit e tribus generibus illis bonis permixta. Quam sententiam duplici ratione probat, primum ita ut demonstret, quam fluxa et parum stabilia separata et simplicia rerum publicarum genera sint atque qua naturali et quasi inevitabili via purum neque ulla admixtione temperatum imperium regium transeat in tyrannidem, ea ipsa in aristocratiam, quae rursus in oligarchiam degeneret; ex oligarchia civibus non ferenda nasci democratiam eamque mox degenerare in ochlocratiam, a qua siquis vir fortis populum liberet, eum regem vel tyrannum fieri; ita orbem commutationum effici eodem unde initium ceperit redeuntem. Huic

---

[1]) Polyb. VI. 3 sqq.

igitur commutationum inconstantiae et periculis optime ex Polybii sententia occurritur, si diversorum generum probabilium elementa et partes iam in prima rei publicae constitutione permixtae et conflatae contineantur, ut iam statim initio diversitatis illius in vita humana ratio habeatur, quae diversas rerum publicarum formas efficiat. Alterum permixti generis commendandi argumentum Polybius ex binorum nobilissimorum populorum exemplis petit, Lacedaemoniorum et Romanorum, quorum res publicae ob nullam aliam causam tam diuturnae fuerint, quam quia ex tribus illis generibus monarchiae, aristocratiae, democratiae coniunctis et apte permixtis constarent. Ad hanc autem laudem non eadem utrumvis populum via pervenisse Polybius ostendit. Nimirum Lacedaemonii hoc civitatis suae firmamentum unius viri ingenio et sapientiae debent, Lycurgi, qui hanc permiscendorum generum necessitatem et utilitatem acute perspexerit et statim ab initio in constituenda et ordinanda re publica Lacedaemoniorum adhibuerit. Romani contra idem bonum consecuti sunt, non unius cuiusquam hominis commento neque ex prudentiae civilis doctrina in artem redacta, sed rerum usu et variis vitae casibus edocti, dum sua cuique nascenti malo in republica remedia aptissima adhibent, sponte ac paulatim et natura rerum duce hanc rei publicae suae formam effecerunt [1]). De Lacedaemoniorum re publica pluribus verbis ex Polybii sententia disserere brevitatis studio omittimus; hoc tantum commemoremus, Polybium non e binis generibus, quod Plato et Aristoteles sta-

---

[1]) Polyb. VI. 11.

tuerunt, sed Archytae exemplum sequentem e tribus generibus rem publicam Lacedaemoniorum permixtam habere [1]. Egregiam autem et illustrem descriptionem temperamenti trium generum in re publica romana adhibiti, quam Polybius nobis proposuit, apud ipsum cognoscat, quicunque potentissimi et firmissimi imperii causas exploratas habere velit [2]. Tam apte autem haec tria genera, Polybio iudice, in romanae rei publicae forma coaluerunt atque tam aequis quasi ponderum momentis librantur, ut nemo facile deciderit, utrum imperium potius aristocraticum sit, an democraticum, an monarchicum. Quodsi enim consulum potestatem potissimum respexerimus, regale fere sive monarchicum, si senatus auctoritatem aristocraticum, si ad populi potentiam, nobis democraticum videatur. Quod ut demonstret consulum, senatus, populi in re publica administranda partes copiosa et accurata enarratione persequitur. Hae ternae autem imperii partes consules inter, senatum et populum distributae tam arcta necessitudine iunguntur et conglutinantur, ut nulla reliquarum ministerio et cooperatione egere possit, simulque tam acri custodia aliae ab aliis cohibentur, ut siqua pars nimiam et ultra constitutos fines progredientem potestatem sibi arroget, continuo a reliquis comprimatur et ad iustum trium potestatum libramentum revocetur [3].

Cum Polybio plane consentit in hac causa Cicero in libris De re publica. Scipio enim Africanus minor,

---

[1]) Polyb. VI. 10.
[2]) Polyb. VI. 11—18.
[3]) Polyb. VI. 15.

quem ibi de optimo rei publicae genere disserentem introducit, plane eandem cum Polybio doctrinam sequitur. Qui consensus ne cui mirandus videatur, Cicero Laelium ibidem dicentem addit, Scipionem suum cum Panaetio philosopho disserere solitum coram Polybio, duobus Graecis peritissimis rerum civilium, multaque colligere ac docere, optimum longe statum civitatis esse eum, quem maiores Romanorum reliquissent [1]. Quo autem Ciceronis sententia cum Polybio conspirans clarius appareat, ea quae de permixto rei publicae genere et universo et Romanae civitatis proprio per libros de re publica dispersa habentur in unum locum hic collecta ponamus.

Postquam igitur Scipio docuit, quam parum formae rerum publicarum simplices et separatae stabiles sint, et quam facile certa quadam transmutationum vicissitudine in aliam transeant, Itaque quartum, inquit, quoddam genus reipublicae maxime probandum esse sentio, quod est ex his, quae prima dixi moderatum et permixtum tribus [2]. Mox eandem sententiam repetit, et paulo inferius exponit uberius, cuius posterioris loci non possum facere quin potissima verba decerpam [3]: „Quod ita cum sit, ex tribus primis generibus longe praestat mea sententia regium; regio autem ipsi praestabit id, quod erit aequatum et temperatum ex tribus optimis rerum publicarum modis. Placet enim esse quiddam in re publica praestans et regale; esse aliud

---

[1]) Cic. De re publ. I. 21.
[2]) Cic. De re publ. I. 29.
[3]) Cic. De re publ. I. 35 et 45.

auctoritate principum partum ac tributum; esse quasdam res servatas iudicio voluntatique multitudinis. Haec constitutio primum habet aequabilitatem quandam magnam, qua carere diutius vix possunt liberi; deinde firmitudinem." Romanae rei publicae e tribus generibus temperatae, pleniorem descriptionem, qualem apud Polybium habemus, apud Ciceronem desideramus, quum lacunis, quibus hoc opus De re publica laborat, hausta sit. Sed Scipionem quoque Ciceronianum non minus quam Polybium ex iisdem causis romanae rei publicae praestantiam et firmitudinem repetere in aperto est. Quod iam inde consequitur, quia Cicero romanae rei publicae genus omnium optimum esse affirmat, hoc ipsum optimum autem omnino permixtum e tribus generibus et temperatum identidem declarat. Accedit quod romanam rem publicam cum Lacedaemoniorum re publica qualem Lycurgus constituit, comparans, eandem aequabilitatem atque hoc triplex coniunctum rerum publicarum genus utrique populo commune fuisse dicit, sed ita ut consularem potestatem Romanorum imperio Lacedaemoniorum regio multo esse praeferendum censeat [1]. Regibus enim Lacedaemone nimium potestatis fuisse tributum atque nimis excelluisse vim, potestatem, nomenque regium, quum et hereditarium sit et nimis pauci sint senatores, quos penes summum consilium Lycurgus esse voluerit. Apud Romanos contra et consulari potestate intra unum annum inclusa senatu multo quam apud Lacedaemonios numerosiore rem publicam multo aptius esse temperatam.

---

[1]) Cic. De re publ. II. 23. coll. cap. 28.

Sequenti post Ciceronem aevo rerum scriptorem vel philosophum, qui hanc de permixto rerum publicarum genere doctrinam novis rationibus firmaverit, vel omnino exornaverit reperio neminem ad saeculum usque sextum post Christum natum praeter duo potissimum scriptores, Aristidem rhetorem et Petrum Magistrum officiorum. In eam enim aetatem incidunt libri sex De politica scientia a Petro Magistro officiorum conscripti, Iustiniani imperatoris aevo florente, eodemque Ciceronis in dialogi forma adhibenda aemulo, quorum librorum fragmenta Angelus Maius, tot antiquorum voluminum sospitator, primus edidit [1]). In hoc igitur Petri Magistri dialogo colloquentes personae in hac doctrina consentiunt, civitatis optimae formam conflari oportere ex generibus monarchico, aristocratico, democratico, tribus. Aristides autem rhetor vel romanum sui temporis principatum ad mixtum rei publicae genus refert [2]).

Hactenus de iis scriptoribus antiquis qui hoc genus rerum publicarum mixtum collaudant atque tribus illis separatis et simplicibus singulis praeferunt. Neque vero deest inter antiquos scriptores auctor contrariae sententiae gravissimus. Tacitus enim de eadem causa memorabile hoc iudicium fert: [3]) „Cunctas, inquit, nationes et urbes populus, aut primores, aut singuli regunt: de-

---

[1]) Mai Scriptorum veterum Nova collectio. Tom. II, p. 571 sqq.

[2]) Aristid. XIV. Romae Encom. p. 360. Ed. Dindorf.

[3]) Tacit. Annal. IV, 33. Hanc Taciti sententiam uberius exponit et tuetur Bodinus De re publica Lib. II, 1, pag. 287 sqq. Ed. Ursellis. 1601. cuius quidem argumenta repetit Piccartus in Commentar. ad Aristotel. Polit. (Ienae, 1669) IV, 9, p. 568—579.

lecta ex his et consociata rei publicae forma laudari facilius, quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest.“ Quae sententia haud mediocriter nos advertat afficiatque necesse est et propter summi scriptoris, rerum civilium peritissimi, auctoritatem et propter insignem eius a tot praestantissimis scriptoribus graecis et latinis dissensum. Utinam rationes addidisset Tacitus, quibus adductus hanc contrariam sententiam praeferendam censeat. Quod quum ei facere non placuerit, periculum faciamus, mentem gravissimi in hac causa iudicis investigando cognoscere, eiusque abruptam brevitatem adeoque silentium quodam modo supplere conemur. Ac primum quidem de romana re publica hoc patet, Tacitum quum permixtam rerum publicarum formam diuturnam negat, romanam rempublicam aut ad constitutionis genus non permixtam habuisse aut ad aetatem non diuturnam. Utram sententiam Tacitus habuerit, rationibus non caruit. Videbatur fortasse Tacito veteris rei publicae romanae genus aristocraticum potius quam vere aequo libramento e tribus generibus temperatum; aut si permixtum non diuturnum, vel ob continua plebis et primorum certamina et tam multas in omni genere intervenientes immutationes, vel quia quingentorum annorum, per quos vetus res publica romana duravit, spatium in populorum aevo ne diuturnum quidem habuit. Sed utut Tacitus de veteris rei publicae romanae forma statuit, hoc manet, eum omnino universam hanc mixti generis formam a Polybio inprimis et Cicerone tantopere collaudatam, disertis verbis vituperare adeoque reiicere. Rationes autem cur ita senserit, quas silentio praeterire satius duxit, plures cogitari possunt. Fortasse arbitra-

batur, tam diversa genera, imperii regii, potestatis optimatium et libertatis plebis, nonnisi in summa et constante omnium civium moderatione et iustitia consociari posse; quae virtutes quia neque plurimorum civium sint, neque omnino ob humanae naturae imbecillitatem satis firmae, ideo haec genera potestatis et imperii diversa nunquam vere et plene coalescere coniungique, sed semper si non aperto tamen caeco certamine inter se collidi, sine pace sincera et firma, temporariis tantummodo induciis interpositis; atque hoc ancipite rerum statu rem publicam in diversas partes trahi et aliquando discerpi. Sed missis his rationibus et similibus quas Tacitus sequi coniiciatur, unam rationem afferamus ab ipso haud obscure significatam. Paulo enim inferius postquam verba modo a nobis allata protulit, diserto de sua aetate hoc dicit, conversum iam esse rei publicae statum neque alio modo rem romanam stare posse, quam si unus imperitet. Principatus igitur romani, qualis tunc fuit, sive imperii monarchici vim dividi adeoque debilitari noluit; atque quam confusionem diversarum potestatum eo rei publicae statu qualis tunc esset inopportunam et perniciosam duxit, eandem omnino reiecit. In hac enim sententia vere Tacitus omnino erat de principatus sui temporis apud Romanos sive praestantia sive necessitate. Etiamsi enim antiquorum Romanorum, qui libera re publica vixerunt, virtutes vel maxime admiraretur, idemque incorruptissimus iudex veritatis et vindex malorum principum romanorum tyrannicam dominationem et vitiorum immanitatem infamiae notis iniusserit per omne aevum duraturis, tamen principatus institutionem ipsam tuetur obsequiumque erga

principem commendat, inopportuna neque cum principatu concilianda libertatis et status popularis studia omittenda censet. Quae quidem Taciti sententia et doctrina civilis ex eius et scriptis et, quod iusto minus respici solet, ex eius vita civili munerumque publicorum gestione, uberius a me alio loco est exposita [1]).

In clausula disputationis ad quam pervenimus meae haec duo praecipue capita, auditores honoratissimi, teneamus, primum viros prudentissimos, in medio civium suorum statu populari viventes, Platonem, Aristotelem, Ciceronem, non democratici imperii genus sed monarchici, dummodo recte constitutum temperatumque sit, optimum pronuntiare; deinde ex eorundem praestantissimorum et omnino ex sapientissimi cuiusque sententia, salutem populorum et civitatum non potissimum in rerum publicarum forma et constitutionis genere, sed ante omnia et unice fere in religiosa legum civitatis vel non optimarum neque plane perfectarum observantia atque in morum integritate civiumque virtute contineri.

Iam oratio mea ad eam rem se convertat, cuius potissimum causa convenimus et quae ut est a Carolo Friderico, immortalis memoriae Principe instituta, ita vel per se sola praecipuum festi huius solemnitati splendorem et gratiam conciliat. Renuntianda enim nunc sunt victorum nomina, qui in commissione literaria

---

[1]) Zell, Ferienschriften Bd. III. S. 67 ff. Tacitus als Staatsmann in seinem practischen Leben.

palmam retulerunt, quod facturus sum ubi primum pro more consueto universitatis nostrae per proxime praeteritum annum acta brevi enumeratione laeta, tristia indicavero.

Professores ordinarii universitati nostrae adscripti sunt hoc anno, clarissimi viri peregre accersiti, theologorum ordini DANIEL SCHENKEL, iureconsultorum ACHILLES RENAUD, medicorum GUILELMUS LANGE, per quos academiae nostrae firmari praesidia, augeri decus vel iam experti sumus vel certa spe ita futurum esse confidimus. — Collegae aestumatissimo, clarissimo, FERDINANDO SCHWEINS, qui quadraginta in professorio munere annos hoc anno emensus, per totum hoc temporis spatium disciplinas mathematicas in universitate nostra et docendo et scribendo illustravit, neque minus munera academica plurima indefesso studio et cura obeundo, optime de omni nostra universitate meruit, Princeps noster clementissimus ornamenta Consiliarii intimi classis secundae largitus est; senatus academicus et ordo philosophorum gratiarum actiones et gratulationes et suo et universitatis totius nomine coram et literis consignatas obtulerunt.

Privatim docendi facultas data est doctoribus, in ordine iureconsultorum AEMILIO KLEINSCHROD et ERNESTO PAGENSTECHER, in philosophorum ordine GUSTAVO HERTH.

Docere desiit, LEOPOLDUS GMELIN, qui per triginta septem annos et docendo et scribendo luculenter de chemiae scientia, quam professus est, meruit atque maximum et sibi et universitati nostrae decus conciliavit. Quapropter optimo et clarissimo collegae cum

nostra gratiarum ob merita eius actione optamus ex animo, ut desiderato post tot tamque diuturnos labores exantlatos otio, sibi a Principe cum novis honorum ornamentis concesso, placidus et secunda valetudine recreatus quam diutissime perfruatur.

In alias universitates ad cathedras professorias capessendas vocati a nobis discesserunt ex ordine iureconsultorum vir ornatissimus GUILIELMUS DEURER, apud nos Professor extraordinarius, nunc in academia Gissensi Professor ordinarius; ex ordine philosophorum HERMANNUS HETTNER privatim docens, nunc in Ienensi academia Professor extraordinarius.

Horti botanici academici Director IOANNES METZGER, qui eximiam in arte sua peritiam et usu et libris a se editis iam dudum comprobavit, de horti botanici institutione et cultura, quam per quadraginta fere annos curavit, et omnino de studiis botanicae et rei agrariae optime meritus, nunc Carlsruham evocatus et in latiore rerum gerendarum campo constitutus de agricultura in totius Magniducatus nostri ambitu promovenda bene merere pergit.

Suppelectilem literariam et instrumentorum apparatum ad tradendas et colendas disciplinas necessarium hoc anno varie auctum esse laetamur. Bibliothecae academicae praeter reditus suos annuos et ordinarios, insuper summa haud exigua libris comparandis assignata est; eademque munificentia apparatui et zoologico et anatomico obtigit. Comparari quoque coeperunt et in Bibliothecae aedibus collocari formae antiquorum artificiorum e gypso effictae, numero adhuc exiguo, sed ad quem augendum iam nunc aliqua pecuniae summa

assignata est, et certos sumtus annuos suppeditatum iri speramus.

Mineralogici universitatis nostrae apparatus mediocritatem Professoris ordinarii, collegae nostri in hac mineralogica quam profitetur disciplina celeberrimi, amplissima collectio, cuius usum et auditoribus et omnibus harum rerum cognoscendarum studiosis liberalissime semper concedit, adhuc perquam commode suppleverat; sed iam fortuna favente collectio mineralogica mineralium et numero et pretio conspicua a viro clarissimo, SCHUELER Professore Ienensi longinquis peregrinationibus multoque studio comparata, in universitatis possessionem cessit, atque iis quidem conditionibus, quae et pristini possessoris disciplinarum fovendarum studium ergaque universitatem nostram eiusdem liberalitatem et benevolentiam luculenter comprobarent, et rationibus nostris essent accommodatissimae. Maximae autem gratiarum actiones Principi et Rectori nostro magnificentissimo debentur, quia et in hac causa clementiam erga nos suam ostenderit (nam virum de doctrina promovenda et de nostra universitate meritissimum insignibus Leonis Zaringici equestribus condecoravit sumptusque ad totum hoc negotium conficiendum necessarios ex aerario publico suppeditari iussit) et quia omnino annuos universitatis reditus ex aerario publico, adsentientibus ducatus magni statibus, augere dignatus sit.

Auditorum nostrorum numero novissima duo tempora semestria incrementum attulerunt, ut brevi tempore nos ad pristinam ante civiles nostras turbas frequentiam redituros esse certa spe auguremur. Neque

minus universum rerum nostrarum statum considerantibus tranquillitas civium academicorum et legum observantia laudabilis videbitur.

Sed ut rerum humanarum vicissitudines afferre solent laeta, tristia, idem et nos experti sumus. Anno proxime praeterito unum e decoribus et luminibus universitatis nostrae amisimus, collegam celeberrimum et omnibus carissimum, FRANCISCUM CAROLUM NAEGELE, neque illum quidem in otium se tanquam in portum exacto cursu recipientem, sed ex ipso professorii muneris curriculo proh dolor! nobis immatura morte ereptum. Vere enim immaturam et luctuosam mortem primarii in arte sua viri, collegae praestantissimi, dixeris, qui etsi per plus quam quadraginta annos professorio muneri artique medicae obstetriciaeque operam navaverat, tam strenue adhuc utrique muneri vacabat et nominis sui gloriae, quam sibi vel maximam conciliavit, tam cummulate satisfaciebat, ut maturos et uberes doctrinae et artis fructus ab eo ad universitatem nostram etiam diu redundaturos esse, speraremus. Quae quidem mors per se iam satis acerba eo acerbior evasit, quod Naegelii filius FRANCISCUS IOSEPHUS, qui et ipse professoris munere apud nos per plures annos insigni cum laude functus in eadem arte, qua pater tantam gloriam assecutus est, iam praeclara ediderat doctrinae specimina, paucis mensibus post patris funus occubuit. Ita tristissimo casu accidit, ut filius tali patre dignus, quem patris in cathedra successorem esse oportebat, in funere successor efferretur. Sed dolor horum funerum superstitibus si eximi nunquam potest, aliquod saltem doloris lenimen relinquitur cogitantibus, Naegelii

nomen gratae tot hominum recordationi mandatum et in universitatis nostrae annalibus consignatum, inter praclarissima eorum virorum nomina sempiterno honore celebratum iri, qui instauratam hanc a Carolo Friderico almam et perantiquam universitatem laboribus suis et meritis firmarunt, auxerunt et ad eam laudis gradum evexerunt, unde ne unquam delabatur posteris eorum omni cura nitendum est.

Obiit hoc anno etiam alius universitatis nostrae collega celeberrimus, EBERHARDUS PAULUS, nonagesimum paene aetatis annum, rarum mortalibus aevum, assecutus. Qui postquam triginta fere annos in theologorum apud nos ordine docuit, cathedra abhinc aliquot annis relicta, in otium se recepit, sed tam vegeta adhuc mente, tam indefessus et strenuus decretorum suorum defensor, ut hic senex suo ex otio plus negotii multis hominibus quam acerrimus quisque vir iuvenis facesseret. Diversorum hominum et diversarum aetatum (nam plures per aetates ut Homericus ille Nestor propugnavit), plane diversa iudicia expertus est; sed de cuius multiplice doctrina, ingenii acumine, indefesso inquirendi et cognoscendi studio, animique candore, qui noverant eum omnes consentiunt [1]).

---

[1]) Haud alienum erit de vitis Professorum, quorum mortes hoc loco commemorantur, indicari, quae infra adduntur: Franciscus Carolus Naegele, Dr. philosoph. et medic. natus est Dusseldorfii die 12. Iulii 1778, Professor extraord. in univ. Heidelbergensi factus 30. Iun. 1807, ordinarius 25. Iul. 1810. Obiit 21. Ianuar. 1851. — Eius filius Franciscus Iosephus Naegele, natus Heidelbergae 1810, 22. Ianuar. inter privatim docentes receptus die 23. Febr. 1835; Prof. extraord. die 8.

Sed a praeteritorum malorum recordatione iam huius horae festivitate recreamur atque ex iuvenum eruditione et industria praemiis ornandorum spem capiamus, neque literis neque universitati nostrae praesidia et decora nunquam esse defutura. . . . *(Sequuntur victorum nomina)* . . .

Iam nihil aliud restat, quam ut honor Manibus augustissimi Principis CAROLI FRIDERICI debitus more solemni habeatur et ut vota huius festi opportunitate quotannis nuncupari solita a nobis renoventur. CAROLI FRIDERICI ea sunt de hac universitate merita, quae vel repetitis per longissimam annorum seriem gratiarum actionibus non exaequentur: nam qui vitam et salutem alicui acceptam refert, is ingratus merito habebitur, nisi quamdiu vivat, tamdiu benefactoris meminerit. Colamus igitur et nos et qui nos secuturi sunt hunc Principem, universitatis restauratorem, perenni in omne aevum honore, tanquam Genium huius loci tutelarem; quod dignius et sanctius a nobis fieri nequit, quam si ornatissimam hanc iuventutem, spem patriae et quasi florem, ad solidam in omni genere doctrinam, ad morum integritatem et modestiam, ad virtutis praecepta sequenda instituerimus ea voluntate, eo consilio, ea mente, cuius CAROLUS FRIDERICUS per diuturnum vitae et imperii tempus tot et tam illustria exempla edidit, monumenta reliquit. Sed etiam vos, commilitones, semper

---

Novembr. 1838. Obiit 5. Iul. 1851. — Henr. Eberhard. Paulus natus Leonbergii in ditione Wirtembergica die 1. Septembr. 1761. Dr. philosoph. iuris et theologiae, Professor ordin. theologiae et philosophiae in universitate Heidelbergensi factus die 13. Decembr. 1810. Obiit die 10. August. 1851.

mementote, eum in finem hanc universitatem a maioribus esse conditam, a CAROLO FRIDERICO instauratam, in eundemque finem nunc ab optimo Principe foveri, a civibus sustentari, non ut nihil aliud sit quam voluptariae vitae diverticulum vel officina, in qua operarii literati, ut ita dicam, ad questum faciendum praeparentur, imo potius ut sit artium liberalium altrix, arx omnigenae doctrinae, verae humanitatis, quae sine virtute et religione consistere nequit, praesidium et firmamentum.

Patris vero memoriam recolere non possumus, quin ad augustissimum eius filium, cogitatio sese convertat, qui amorem patris erga universitatem nostram aemulatur. Faustissima igitur quaeque exoptemus et a numine divino precemur pro LEOPOLDO MAGNO DUCE nostro, eodemque universitatis nostrae Rectore celsissimo et pro tota eius domo augustissima, quibus salvis, et universitatem nostram salvam permansuram esse confidimus.

PARENTALIA SACRA

LEOPOLDI

MAGNI DUCIS BADARUM, DUCIS ZARINGIAE

ET QUAE SUNT RELIQUA

PRINCIPIS AUGUSTISSIMI CELSISSIMI,

RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI

IN AULA ACADEMICA DIE VII. MENS. MAII MDCCCLII

HORA ANTEMERIDIANA XI

RITE PIEQUE CELEBRANDA

INDICUNT

UNIVERSITATIS RUPERTO-CAROLAE

PRORECTOR ET SENATUS

INTERPRETE

CAROLO ZELL,

P. P. O. EX PRORECTORE,

Gravissimi quique casus et insigniores rerum humanarum calamitates etiamsi non inexspectatae ingruant, tamen vel praeparata ad vulnus accipiendum pectora percellunt, nec diuturnior impendentis mali metus praesentis acerbitatem doloris compensare valet. Quod his diebus non sine maximo animi moerore experti sumus in obitu luctuosissimo LEOPOLDI Magni Ducis, Optimi Principis, Patris patriae, Rectoris Uni-

versitatis nostrae Magnificentissimi. Licet enim ob infaustum Principis morbum iam aliquamdiu inter dubias spei et timoris vices iactati, novissimis nuntiis allatis tristissimum exitum auguraremur, tamen ubi primum exitialis ille dies, quem anxii praevideramus, et hora feralis advenit, dolor tam acerbus, tam recens civium animos omnium medullitus penetravit, quanto maiorem inexspectatae mortes et funera improvisa vix afferre solent. Occubuit Princeps, quo nemo alius cives suos magis sincero vividoque amoris et benevolentiae sensu amplexus sit; ereptum est Domui Augustae carissimum caput, liberis parens, uxori coniux, fratribus frater amantissimus; sublatum praesentissimum egenis et miseris solatium, exstinctus est generosus bonarum artium et laudabilis cuiusvis studii suscepti patronus. Iam igitur concidit mitis illa eademque dignissima oris species, quam in Principe adspicere laetati sumus; obmutuit vox illa tam comi alloquio quemque qui ad eum accederet recreans; obriguerunt manus illae beneficae, quae, ubicunque necessitates vel miseriae auxilio indigerent, tam propense, tam frequenter, tanta cum liberalitate, opem ferre solebant. Ecquis est, quem haec non moveant? Ecquis est, qui tali nos Principe orbari non lugeat? O fallaces hominum spes et instabiles rerum humanarum vicissitudines! Recordari subit, diei illius auspicatissimi, quum anno superiori paucis abhinc mensibus LEOPOLDUS in hac urbe nostra commorabatur. Post tempora illa nostra turbarum civilium, quae sempiterna oblivione ex hominum memoria deleri satius esset, nisi praeteritorum malorum experimento docendi essemus, post haec igitur tempora, Princeps prima tum vice urbem et aca-

demiam nostram revisit. Qua tum alacritate omnes sui cives obsequii et amoris documenta edere studebant, et Ipse quam benevolo animo, qua humanitate haec studia nostra excipiebat. Omnes praeteritorum temporum acerbitates iam meliori rerum statu et redintegrato Principem inter et cives suos vinculo ex animis effluxisse videbantur. Quis nostrum, qui Rectorem nostrum Magnificentissimum venerabundus tunc salutaret; prospera valetudine fruentem, incedentem firmo gressu, et gratiosa sereni vultus comitate insignem, quis tandem post illum diem laetissimum nunquam Principem amplius in urbem nostram rediturum esse auguratus fuerit? Quilibet nostrum Eidem plurimos vitae et imperii annos tunc non optabat solum, sed etiam certa spe praecipiebat. Supremum numen decrevit secus, a cuius nutu principum vitae, mortes, fortunae aeque ac infimorum pendent, cuiusque decreta et immutabilem rerum ordinem ab ipso constitutum fortiter ferre et obsequiose, religionis non minus quam sapientiae praecepta nos iubent. Ad hanc firmissimam solaminum arcem, ad hoc praesentissimum et in his humanae vitae miseriis haud raro unum doloris remedium nos, accedente ad Optimi Principis mortem altera clade, eaque gravissima, tanto magis confugere necesse est, quum LUDOVICUS LEOPOLDI F. hereditario iure in principatu successor, quem florenti iuventa gestientem paucis abhinc annis civibus academiae nostrae adscriptum apud nos commorari laetabamur, nunc quo minus imperium capessat, gravi valetudine affectus impediatur.

Universitas autem nostra praeter has communes omnium civium suas peculiares habet lugendi causas.

LEOPOLDUS enim in sinu patris, gloriosissimae memoriae Principis, innutritus quum ad altiora disciplinarum studia capessenda se converteret, nostram potissimum academiàm petivit, in hac nostra Musarum sede a CAROLO FRIDERICO salutem et nominis decus adepta, operam bonis artibus non perfunctorie impendit. Nos ipsi vidimus aut fando audivimus, quam verecundus tum iuvenis tam illustri loco natus erga professores fuerit, quam comis erga commilitones, quam cupidus discendi. Atque quem civibus suis universitas nostra adscriptum viderat, eundem annorum decursu Principem et Rectorem Magnificentissimum venerata est. Quo quidem summae dignitatis fastigio constitutus cum omni benignitatis genere almae matri Ruperto-Carolae gratias retulit, tum filios, Principes iuventutis, disciplinae nostrae commisit. Ex hac arctiore igitur necessitudine et peculiari officii vinculo tanto maiori nos nunc dolore affici par est.

In hoc tamen gravissimo, quo affligimur, luctu non deest lenimen, quo sustentemur, quo erigamur; et in mediis his tristitiae tenebris lux aliqua novae spei nobis affulget. Princeps occubuit, sed principatus perdurat; Domus augusta firmiter stabilita novum Principem praebet, cui rei publicae gubernacula tuto committantur. In locum Patris defuncti, in locum Fratris nunc quidem infausto morbo non sine maximo nostro dolore praepediti, FRIDERICUS successit, LUDOVICI Magni Ducis, donec ad prosperam valetudinem redierit, vices gerens Princeps Badensis, per quem post hanc rerum nostrarum cladem Domus Augusta et cives sui solatium, salutem, felicitatem redituram esse sperant, et quem

Academia nostra inter alumnos suos vidisse laetatur. FRIDERICUS Princeps, quamvis iuvenili aetate, non expers rerum gerendarum, non ignorans vitae humanae vicissitudines nec ancipites imperandi casus ad rem publicam regendam accedit. In ea tempora incidit, quibus multa expertus sit, quibus fortitudinis et constantiae documenta iam dederit. Quapropter de Eo non tam spe incerta coniicere, quam certa experimentorum fide iudicare nobis licet.

Sed antequam solemnia pro novo Principe vota nuncupemus, pietati satisfaciendum est, quam Defuncti Manibus debemus debitamque perpetuo servabimus: sacra Optimi Principis parentalia sunt celebranda, memoria consecranda. Quod dum facimus non minus officium debitum praestamus quam nobis ipsis et dolori nostro consulimus. Ita enim humanum pectus natura comparatum est, ut in carissimorum capitum mortibus non ex rerum oblivione, quam frustra appetimus, sed ex vitae ipsorum contemplatione, sed ex commemoratione virtutum et rerum gestarum, saluberrimum doloris lenimen capiamus, atque ut eorum ipsorum, quos desideramus, recordatione desiderium quodam modo expleri sentiamus. Quapropter iam antiquitas instituit, ut in clarorum virorum parentalibus ad memoriam eorum recolendam laudationes funebres haberentur; et si quando desideratorum vultuum effigies formari coeptae sunt, ut maiorum imaginibus et statuarum basibus in honorem illustrium virorum positarum, non solum nomina et honores sed facta quoque, virtutes, ingenii dotes literis consignarentur. Ex simili more in Academia nostra a maioribus instituto LEOPOLDI Optimi

Principis Rectoris Magnificentissimi defuncti sacram memoriam Universitas Ruperto-Carola celebrabit. Tristissimo huic officio dictus est dies VII mensis Maii, quo die hora XI antemeridiana, in aula academica, reverendus Ordinis Theologorum h. t. Decanus, Dr. Ullmann, Magno Duci a consiliis ecclesiasticis secretioribus, Prof. pub. ord. orationem funebrem vernaculo sermone habebit. Quibus parentalibus pie riteque celebrandis, ut universi academiae nostrae consortes, pro suo quisque loco et ordine honoratissimi, ornatissimi, Professores, Docentes, Auditores, neque minus ut urbis nostrae Honorati, Cives et quicunque Optimi Principis Manes colunt studiisque nostris favent, frequentes interesse velint, qua par est observantia invitamus.

Gratias Principi defuncto agendas, Eiusque vitam, mores, facta, fortunam copiosius persequi, Oratoris est publice constituti. Interim brevi, quod infra scriptum est, elogio, cuius generis nonnullae ex antiquitate romana reliquiae supersunt [1]), mentes ad parentalia rite obeunda praeparare et ad LEOPOLDI memoriam posteritati commendandam in Eius quasi heroo tabulam figere sive clypeum honorarium suspendere, haud alienum visum est.

---

[1]) Accuratius universum hoc genus tractavimus in libro qui inscribitur: *Die Elogien der alten Römer. Stuttgart 1847.*

LEOPOLDI MAGNI DUCIS
ELOGIUM.

LEOPOLDUS
CAROLI FRIDERICI SAPIENTIS PII FELICIS F.

Paternis institutione et exemplis educatus, academiae Ruperto-Carolae a patre instauratae alumnus; Carolo Magno Duce praematura morte exstincto Ludovico fratre regnante, successoris in imperio futuri locum adeptus Sophia e regia Suecorum stirpe matrimonio sibi iuncta florenti sobole auctus.

Ubi primum Magno Duci Ludovico successit, comitate benignitate indulgentia omnium animos sibi devinxit non tam potentiae suae augendae firmandae quam amoris civium suorum sibi conciliandi studiosus.

Quo imperante plurima ad populi commoda promovenda, iura stabilienda sunt tentata, multa praeclare perfecta: agri vectigalium oneribus liberati; plebs a vinculo operarum publicarum soluta; opificiorum industria et mercaturae rationes societate cum aliis Germaniae populis inita adiutae auctae; multa ad agrorum culturam artes disciplinas promovendas instituta; fluminum incerti cursus et nocentes cohibiti directi; paludes exsiccatae; viae patefactae; mirabile inventum quo vehicula igniti vaporis vi orbitis ferreis rapiuntur introductum; leges poenales et iudiciales retractatae; ita ut populi etiamsi partium studiis subinde agitati opes augerentur, victus cultusque floreret.

Qui quidem prosperus rerum status dum vicini regni

gallici ruina commovetur simulque Germaniae communis patriae melius constituendae ornandae spes excitatur, optimus princeps qualem erga cives se suos perpetuo praebuerat talem erga Germaniam se gessit, communis quod sibi videretur commodi decoris salutis quam suae ipsius potentiae retinendae curiosior.

Sed optato eventu qui tam laudabili studio responderet deficiente, a spe universae Germaniae constituendae frustratus, res suas intempestivo nonnullorum ardore, pessimorum crimine et iteratis seditionibus, bonis cessantibus eo deductas expertus est, ut avitos penates et terram ditioni suae subiectam relinquere cogeretur. Mox Borussorum regis generosissimi principis et foederatorum auxilio devictis rebellibus reversus imperium denuo firmatum, tranquillitatem revocatam, renascentem temporum felicitatem, civium suorum erga se amorem nunquam deficientem, adversis optimi principis casibus meliora meriti novis viribus auctum dum videt, in medio melioris fortunae cursu inexspectato morbo cruciatuum pleno correptus vicesimo altero imperii anno peracto in summo augustae domus et omnium civium moerore et luctu occubuit.

Optimus princeps vir optimus, egregiis corporis animique dotibus ornatus, insigni staturae et faciei dignitate venustate conspicuus; clemens beneficus comis liberalis; pater familias suorum, princeps omnium civium amantissimus insigne dedit per tempora secunda adversa documentum, magna principum popularitas magna clementia et indulgentia quantum in se habeant decoris, laudis, periculorum.

BREVIORES ALIQUOT ALLOCUTIONES.

I.

DIVI CAROLI FRIDERICI

MAGNI BADARUM DUCIS

ANTE HOS CENTUM ANNOS NATI

PRIMA SACRA SAECULARIA

AB

UNIVERSITATE ALBERTO-LUDOVICIANA

DIE XXII. NOVEMBRIS MDCCCXXVIII

PIE CELEBRANDA INDICIT

CONSISTORII ACADEMICI NOMINE

CAROLUS ZELL,

PHILOSOPH. DR. ET PROF. PUBL. ORDIN.

Si quis unquam dies, Commilitones, laetabundo fuit a nobis et grato animo, atque omnium solemnium genere celebrandus, is est, quem nunc Vobis in hac studiorum universitate celebrandum indicimus. Hoc ipso enim die integrum labentibus annis saeculum conficitur, ex quo supremum numen CAROLUM FRIDERICUM de coelo, quo sancta eius iam rediit anima, in hanc terram demisit, Patrem patriae, Germaniae decus, om-

nium denique bonorum delicias. Sequamur igitur hunc morem, quem antiquitas, honestissimarum rerum inventrix, instituit, quae clararum urbium et magnorum virorum natalem saecularibus semper sacris insigniret; atque repetamus memoria et meritissimis laudibus omnique condecoremus gratiarum actione egregias divi Principis virtutes. Quod eo magis a nobis fieri consentaneum est, cum non de honoribus agatur antiquo alicui heroi tribuendis, cuius gloria incertis fabularum figmentis involuta nonnisi fere quam a longa saeculorum serie commendetur; CAROLUS FRIDERICUS est, cui haec pietatis officia deferimus, quem haec nostra aetas vidit, quem vivum dilexit, coluit, admirata est, cuius et beneficiis et filio augustissimo praesentibus fruimur. Huius igitur festi insigniori quodam studio celebrandi gravissimas causas et maxima incitamenta habemus. Quod dum facturi sumus, ante omnia eorum nos beneficiorum recordari par est, quibus immortalis memoriae Princeps hanc nostram literarum sedem affecit, cuius et Rectoris magnificentissimi munus suscipere dignatus est, et commoda nullo unquam tempore, cum primum avitam Zaringiorum ditionem denuo recuperasset, promovere cessavit. Deinde eorum quoque meminisse iuvat, quaecunque generoso animo et consilio prudenti ad bonarum artium et disciplinarum studia stabilienda, augenda, exornanda instituit, quarum amantissimus fuit idemque peritissimus. Neque vero tam est aut doctrina a vitae usu aut haec nostra literarum officina ab universae patriae rationibus seiuncta, quo minus ea omnia nunc denuo cum admiratione redintegrata et gratissimi animi recordatione spectemus, quae-

cunque in universa republica gubernanda per plus sexaginta annos et in difficillimorum temporum discrimine praeclare gesserit CAROLUS FRIDERICUS, de communi patria nostra immortaliter meritus, cuius et salutem strenue curavit, et fines mirum in modum auxit, et decus cum virtutum suarum splendore tum triplici Marchionis, Electoris, Magni Ducis nomine illustravit. Copulate igitur, Commilitones, Vestram peculiarem huius festi peragendi alacritatem cum faustissimis huius urbis et totius patriae acclamationibus; confundite Vestrum pietatis et animi grati sensum cum omnium civium nostrorum, vel potius cum omnium quotquot ubique sunt bonorum voluntate. Sic enim vere est, Commilitones: noster est CAROLUS FRIDERICUS patria, regno, beneficiis, sed virtute, exemplo, gloria universi generis humani. Denique sic habetote, nulla alia re melius huius diei solemnitatem et fructuosius posse a Vobis celebrari, quam si unusquisque Vestrum, qui in hac studiorum Universitate literis operamini, sancte et constanti voluntate hoc ipso die spoponderit, se per totam vitam, ex eorum praeceptorum norma, quae immortalis Princeps in praeclarissimo illo virtutis et sapientiae suae monumento diserte tradidit, id pro virili parte et omni contentione animi esse acturum, ut in patria nostra, qua nihil nobis carius esse debet, civium salus, libertas, religio perpetuo conservetur, confirmetur, promoveatur. Quod si feceritis procul dubio etiam LUDOVICUM AUGUSTUM, qui tam insigni pietate Patris memoriam recolit, Academiae nostrae Rectorem Magnificentissimum, studiis Vestris gratiose annuentem habebitis.

Sed haec hactenus, cum brevi hac allocutione non sacrorum saecularium, quae celebraturi sumus, vim et gravitatem plene explicare, sed hoc tantum nobis propositum sit, ut ad hoc augustissimum festum rite peragendum, rite praeparemini. Copiosius enim et gravius haec omnia expositurus est Vir ornatissimus, Iosephus Beck, Medicinae et Chirurgiae Doctor et Professor ord. pub., hoc tempore magnificus Alberto-Ludovicianae Prorector, oratione in aula academica die supra scripto habenda, quam, Commilitones, ut frequentia Vestra ornetis Vos volumnus invitatos.

II.

NATALITIA AUGUSTISSIMI PRINCIPIS
LEOPOLDI
MAGNI BADARUM DUCIS ET DUCIS ZARINGIAE
RECTORIS NOSTRI MAGNIFICENTISSIMI
DIE XXIX. AUGUSTI MDCCCXXX.

AB ACADEMIA
ALBERTO-LUDOVICIANA
RITE PIEQUE CELEBRANDA
CONSISTORII ACADEMICI NOMINE
INDICIT
CAROLUS ZELL,
PROF. PUBL. ORD.

Dies clarorum principum honoribus destinati cum omnino omnium civibus grati et sacris solemnibus cele-

brandi veniunt, tum eorum inprimis, quibus, cum ad rei publicae gubernacula recens accesserunt, amoris et obsequii quasi primitias offerre nobis contingit. Quam studiorum in ea occasione alacritatem iam humanae affert conditio naturae, quae quidem ut res usu et consuetudine animis nostris firmioribus sensim sensimque radicibus coalescere et inhaerere facit, ita recentissima quaeque novitate ipsa commendat. Sed in principum successionibus cur novae vices et regnorum initia nos moveant, etiam aliae sunt eaeque gravissimae causae. Apud eos enim populos, ubi summa rerum perpetuae unius stirpis tutelae committitur si ad novum principem aviti sceptri honores redeunt, ad futurarum rerum cogitationem, quas animo praecipimus, generis quoque et avorum, omnis denique eius necessitudinis, qua populi cum principum domibus coniunguntur, recordationes denuo integratae accedunt. Haec omnia iam nos ipsi experimur LEOPOLDI Magni Ducis, Principis nostri augustissimi et Rectoris huius academiae magnificentissimi diem natalem hac prima vice rite pieque celebraturi, faustissimis auspiciis, grato erga supremum numen animo, et summa omnium civium alacritate. Sive enim praeteritarum rerum memoriam repetimus sive futurarum capimus augurium, insignes habemus et certissimas causas, cur talem principem populo nostro, verum etiam principi talem populum gratulemur. Principis stirpem spectas et imagines? Zaringiorum est progenies, qui cum antiquitate generis et avitae potentiae splendore nullis principum domibus cedunt, omnes fere anteeunt; tum antiquissimis iam temporibus miram suam civium curam et amorem comprobarunt urbes exstruendo,

leges condendo, saluti denique omnium et libertati omnibus modis consulendo; quibus haec urbs nostra plurimum debet, siquidem iis plurimum debemus, quibus vitam ipsam et ortum acceptum referimus. Patrem quaeris? Caroli Friderici filius est, quem totus iam dudum terrarum orbis sapientiae et virtutis, quales in principe requiruntur, exemplar suspicit; qui ut a Graecorum et Romanorum gente, si ea aetate floruisset, inter heroes divinis honoribus auctus esset, sic a nobis pietatis et grati animi sensu nunquam intermorituro coletur; cuius memoria ita servatur, tam firmiter, tam religiose, ut siquando princeps populi aut populus principis — quod Deus avertat — oblivisci videretur, nos ad eandem tanquam ad sacratissimum patriae palladium confugere possemus. Est vero etiam, si ea quae adhuc facta sunt meminerimus, quod Principi nostro talem suum populum gratulemur, principum suorum amantissimum, obsequiosum, legibus obtemperantem, patria terra prae ceteris felicissima gaudentem. Futurae autem felicitatis ad populum redundaturae non minora sunt, quam aviti et paterni decoris in Principe nostro documenta. Absit a nobis, Commilitones, ut nos quorum est non minus incorruptae et masculae virtutis quam disciplinarum praecepta vobis tradere, absit, inquam, ut foeda adulatione novi regni initia deturpemus: sed ipsi videtis, quibus laetitiae et amoris significationibus civium erga principem nostrum voluntas se prodat; ipsi videtis, qua domus augusta morum sanctitate, qua concordia, qua coniugii religione et sobolis felicitate floreat, quae quidem domestica laus haud parvum habetur publicae salutis pignus; videtis

denique, quod maximum est, quantopere LEOPOLDUS iam in limine quasi imperii salutaribus decretis egregium cives suos adiuvandi studium comprobare properaverit. Nobis vero qui in hac Academia et discimus et docemus proprium quoddam et singulare iam dedit benevolentiae documentum. Rectoris enim Magnificentissimi nomen ab universitate nostra ea qua par est observantia oblatum accipere dum dignatur, propioris nos necessitudinis vinculo secum coniunxit, atque ut studiorum nobis nostrorum maximum praebuit et praemium et incitamentum, ita perennem nobis verae solidaeque laetitiae fontem aperuit et faustissimum salutis dedit augurium. Si enim, quod sapientissimi quique viri semper docuerunt et omnium aetatum memoria comprobavit, res publicae non tam caeca armorum vi aut libidine et arbitrio, quam aeternis humanae rationis et iustitiae optime reguntur legibus: quidni laetemur si principem videmus eorum institutorum singularem curam et proprium suscipere patrocinium, quorum hoc ipsum munus est, ut omnes rationis et humanitatis partes explicent, promoveant, illustrent? Hoc enim qui princeps facit satisne clare significat, tale suum futurum esse imperium, quod ingeniorum culturam, rationis lumina et iudicia veritatis neque reformidet unquam neque aspernetur?

Plene iam igitur intellexeritis, Commilitones, quot quantasque habeamus causas diei huius faustissimi solemnia concelebrandi. Sequimini itaque animorum vestrorum motus; atque vota, gratiarum actiones, laetitiam, gratulationes vestras cum his communibus omnium civium studiis copulate. Ingredimini nobiscum frequentia

stipati illud religione non minus quam antiquitate venerandum templum, ibique hoc ipsum intuentes praeclarissimum Zaringicae pietatis et magnificentiae monumentum, supplices fundite preces pro inclyta eiusdem Zaringicae stirpis progenie, ut numen supremum LEOPOLDI, optimi Principis, diem natalem intemeratis semper honoribus et omni felicitatis genere auctum per longissimam annorum seriem revolvi concedat, ut totam domum augustam, ut universam denique patriam perpetuo salvam praestet, prosperet, secundet. Tam arcto autem Principis salus cum salute patriae consociatur, ut qui alteram optat idem pro altera vota facit. Principe enim salvo, sospite, verum decus suum veramque utilitatem appetente, patria et ipsa salva sospes, felix est omnique laude abundans; rursus patria si felix habetur et secunda fortuna fruens, si libertate rite temperata, si salutaribus legibus, si rerum copia, si belli denique pacisque artibus floret, omnes ad principem et utilitatis fructus et decoris ornamenta redundent necesse est. Iam vero, Commilitones, cum Principi et patriae faustissima quaeque apprecari nequeatis, quin memineritis, vos in Academia nostra hoc nunc agere, ut aliquando utrique inservire valeatis: excitate animos, ubi pia vota feceritis, ad hanc ipsam officii vestri et muneris suscepti cogitationem; quae vos eo non adducere non poterit, ut in huius auspicatissimi festi solemnitate quasi coram principe, patria atque adeo numine supremo constituti, serio et sancte principi, patriae, deo immortali denuo spondeatis, vos in hoc studiorum vestrorum curriculo omnes nervos ad doctrinae et virtutis laudem consequendam indefesso labore

et perpetuo esse intenturos. Quippe magnam rem litteris operam navantes molimini, ut laudis plenam ita arduam et difficilem, et ad quam strenue persequendam vos ipsi nullo non tempore excitetis, et confirmetis necesse est. Vobis enim aliquando a Principe civium religiones, iura, valetudo, disciplina, omnes denique vitae partes curandae et regendae comittentur. Quid hac sperata dignitate praeclarius? Sed rursus quid hoc munere suscepto religiosius, gravius, difficilius? Quapropter si in studiorum vestrorum ratione non perfunctorie, non leviter, non ore tenus, sed severe, sed accurate, sed, ut ita dicam, medullitus pertractandorum cessatis aut delinquitis, non solum desidiae dedecus et ignominia privata, sed est publicum damnum, crimen est, piaculum est. Praeclare igitur almum hunc diem celebraveritis, Commilitones, si vota pro Principe nostro suscipientes, simul propositum vestrum et voluntatem instaurabitis doctrinae et honestatis studio pro virili semper vacandi. Cui voluntati ubi nostra voluntas se adiunxerit vos salutaribus praeceptis et solida doctrina instituendi, haec res multo et Principe et huius festi solemnitate dignior erit, quam statas et tritas adulationis formulas decantare aut vanam speciem iactare et inanes apparatus.

III.

ALLOCUTIO
POST LYCEI CONSTANTIENSIS EXAMEN PUBLICUM FINITUM [1]).

Iam igitur laetis animis, alumni nostri carissimi, gratas feriarum vices ingredimini; supellectilem literariam, laborum molestias, sollicitam proficiendi in literis curam in tempus aliquod deponite; sed morum modestiam, sed studiorum amorem servate. Ita cum negotio otium saluberrimo temperamento copulabitis et sua cuique tempori ratio constabit. Atque quando feriarum otio feliciter transacto studia repetieritis, tum instauratis viribus et alacritate redintegrata bonis artibus operam navate. Vos autem, lectissimi iuvenes, qui e scholae cancellis dimissi novum idque maius et liberius academiae stadium ingressuri estis, nolite, obtestamur vos, eorum oblivisci, quaecunque ad morum sanctitatem

---

[1]) Cum consilio studiorum scholasticorum regendorum *(Oberstudienrath)* in Magno ducatu badensi per decem annos adscriptus essem, muneris mei erat ut in publicis gymnasiorum examinibus annuis, quibus praesiderem, non nunquam verba facerem. Qua quidem occasione auditorum in gratiam latine non callentium vernaculo sermone utendum erat; sed ut latinitati suus in scholis nostris honor constaret, plerumque his orationibus allocutiones latinas breviores pro epilogo addere solebam, quarum ut aliquod specimen inter haec opuscula exstaret, hanc allocutionem et proxime sequentem seligere et huic volumini inserere placuit.

tuendam et ad ingenium bonis artibus excolendum optimi praeceptores tam assiduo tamque indefesso studio animis vestris indiderint; atque tales iam vos praestate, quales ut aliquando futuri sitis et patriae et parentum et vestra ipsorum maxime interest. Vos autem, carissimi discipuli, qui in idem stadium ad novos studiorum cursus in schola nostra capessendos redibitis, ea quae recte et laudabiliter instituistis eadem via pergentes constanti animo ad finem perducite; quidquid secus adhuc admiseritis, tollite, emendate et summa elaborate virium intentione, ut siquid nunc in vobis desideretur, id in posterum cummulata mensura compensetis.

Quae vota nostra ut felicem exitum nanciscantur, atque ut hoc lyceum nostrum constantiense non minus praeceptorum gravitate et doctrina quam obsequio discipulorum et industria nunquam non sit doctrinae virtutisque domicilium et officina Deum optimum maximum et nunc supplices precamur et crastino die solemnibus sacris sumus veneraturi.

IV.

IN EXAMINE GYMNASII HEIDELBERGENSIS PUBLICO ANNO MDCCCXLVI HABITO, QUO ANNO SACRA HUIUS SCHOLAE SAECULARIA CELEBRATA SUNT.

....Ita enim est (ut iam finem dicendi faciam eo sermone utens, quem nos qui bonis artibus studemus commnem et quasi patrium habemus), ita enim vere

est, auditores ornatissimi: in his vitae humanae vicissitudinibus atque adeo in hac antiquarum institutionum ruina, quam nostra aetas vidit, et in hoc calidissimo rerum novarum studio, quod tam multos transversos agit, iure meritoque perpetuitatem nobis huius scholae tam diuturnam congratulamur. Per tot iam annos eaedem ibidem bonae artes coluntur et doctrina christiana iuvenilis institutionis fundamentum habetur. Nostrum est, quae maiores tradidere tueri et confirmata ad posteros propagare. Teneamus igitur in mediis his levissimarum opinionum ludibriis et inani verborum strepitu, quo aetas nostra interdum laborare videtur, tutissimam illam solidioris eruditionis viam et incorruptum illum sincerae, non fucatae elegantiae sensum, quem antiquae literae spirant; teneamus divina religionis christianae praecepta et pectoris penetralibus inclusa et per totam vivendi rationem expressa. Quae quidem praecepta si suo quisque modulo tanquam infra se posita metiatur, si omnino nihil divina auctoritate stabilitum, sed omnia suo quisque arbitrio vel libidini obnoxia habeat: non video profecto qua ratione res nostrae vel publicae vel privatae salvae manere diutius possint. Caveamus ne vetera, tuta, probata novis, incertis et periculosis postponamus.

Quam rationem ut omnibus expedire censeo, ita vobis praecipue, iuvenes lectissimi, e scholae cancellis iam in liberiora universitatum literariarum spatia enitentibus commendari velim. Cavete inprimis blandos illos nonnullorum hominum nescio quid molientium sermones et scripta, qui apertis et fervidis iuvenum animis insidiantur; qui vestra scilicet iuvenum virtute sola, vestra

negotiorum publicorum participatione maturanda generis humani salutem contineri vobis persuasuri sunt, quasi non satis negotii habentibus, si vobis ipsis moderari, mores vestros regere, a luxuria et libidine abstinere, in literas incumbere satagitis. Deridiculo fueritis, si vestrarum rerum incuriosi alienas curetis. Sed si nostris consiliis aurem praebueritis, optime et vestris ipsorum commodis consuletis et huius scholae nostrae decus augebitis, quae quidem per terna iam saecula floruit, ut per longam saeculorum seriem florere pergat a Deo optimo maximo supplices precamur.

CARMINA ALIQUOT LATINA.

REGIAE CELSITUDINIS

MAGNI BADARUM DUCIS

L U D O V I C I

RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI

ALBERTO LUDOVICIANA

EXOPTATISSIMUM PIE CONCELEBRAT FRIBURGI ADVENTUM

MDCCCXXVII.

Civium salve LUDOVICE lumen!
Civium dilecte parens! die almo,
Quem tuus vidit populus per arva
Brisiacorum.

Drisamae Nymphae liquidis in undis,
Alta cum sylvis iuga Te salutant:
Lenius ridere Zaringiorum
Propria tellus

Tota iam gestit, venerans nepotem et
Inclytam gaudens aluisse gentem,
Lucidam belli meritis domique
Intemeratis.

Atque Conradi pietas quod olim
Grande molita est opus, omnis aetas
Usque quod spectans stupeat nepotum,
Iam tibi pandit

Arduas portas adyti, et superbit
Turris extollens caput inter astra,
Fulgidum propter decus atque honores
Quos Tibi debet.

Si piae servant animaeque sensus,
Musa nec fallit reverenda vatem,
Sedibus iam iam properant beatis,
Nec Tibi desunt

Quos habes clari generis satores;
Teque stipatum placidi tuorum
Coetibus spectant, tacitumque diva
Pectora mulcet

Gaudium. Spectant stabilique terram
Otio, quâ larga Ceres quotannis
Spiceis sertis tibi, Bacche suavis,
Tempora cingit.

„Ad Tuos serus, LUDOVICE princeps,
Serus excelsos proavos redibis,
Et Tuam multos patriam Badenam
Prosperes annos!“

Omnis hoc orat bene fida veris
Civitas votis; prece Numen orat
Alma Musarum domus hoc, Tuo quae
Nomine gaudet.

CHALCEIUS.

IDYLLIUM, QUOD VIRO CLARISSIMO

IGNATIO SCHMIEDERER

MEDICINAE PROFESSORI

SUMME REVERENDO COLLEGAE, SACRA SEMISAECULARIA LAUREAE IN ARTE MEDICA DOCTORALIS AGENTI OBTULIT

AUCTOR

CAROLUS ZELL.

FRIBURGI MDCCCXXIX.

Menalcas.

Munere quonam te, Damon, fortuna beavit?
Dulcia namque oculi, frons et tua gaudia prodit;
Quae tu nos tacitus ne clauso pectore celes.
Hora tibi quid fausta tulit? Ne dicere parcas:
Inter enim caros communia cuncta sodales.

Damon.

Recte divinas: atqui non ardua res est,
Exultans mea vix capiat quum gaudia pectus,
Signeturque dies haec candidiore lapillo
Usque suo. Nunquam, ah nunquam tam visa Menalcas,
Urbs mihi quam visa est hodie prae rure beata.

Menalcas.

Scilicet urbanaeque tibi placuere popinae,
Teque nimis faciles urbis cepere puellae.
Heu heu quo ruis, infelix! . . . .

Damon.

Bona verba, Menalcas!
Non me transversum rapuit male sana cupido;
Ast aliquid vidi augustumque et maius in urbe,
Mente quod in memori fixum non effluet unquam.

Menalcas.

Ah, nova tu nobis, Damon, et grandia iactas:
Verane sint eadem fortasse videbimus ipsi.

Damon.

Vera loquar: res sacra vetat mendacia fari.
Iudice te vincam. Sed considamus in umbra,
Haec fagus quo blanda vocat nos brachia tendens.
Suavis enim locus hic audire et dicere nobis.

Quum fructus hodie veho matutinus in urbem,
Parvus ager nobis quos fert exile lucellum:
Quidnam ibi tam praeter solitum fieret demiror.
Nam concursabant properantes undique cives
Per vicos, alacres vultu festoque parati.
Quos ego maximâ quâ volvit se turba secutus,
Quo tendant, sit quidve novi non quaerere cesso.
Sed properant, trudunt, nec quisquam praebuit aurem
Quaerenti, donec senior docuit dubitantem:
„Esse aliquem medicum meritis annisque probatum,
Artis doctrina praestantem nec minus usu:
Muneris huic gesti decies iam quinque per annos
Ingenti festum plausu celebrarier urbis.“
Quod simul accepi, sequor usque globos venientum,
Et mox ad templi portas subsistimus ampli.
Exspectant ibi iam procerum plebisque catervae,
Solemnis donec procedat pompa virorum.

Iamque venit: ducunt agmen duo sceptra tenentes;
Inde viri longo venerunt ordine docti,
Artes qui tradunt, rerum causasque recludunt,
Pervigili et studio celebrata volumina condunt;
Laeti circumstant iuvenes stipantque magistros.
Ipse senex inter primos praecesserat ille,
Qui tulit insignis tunc unus praemia festi.
Annis sed quem crediderام senioque caducum,
Ingreditur pede tam firmo motuque citato,
Quam quibus est florens aetas annique virentes;
Atque viri decorant generosum insignia pectus,
Inclyta principibus quae virtus praemia debet.
Iam propius cupio caros ego cernere vultus:
Dumque virûm fortis turbam perrumpere nitor,
Quemne putas oculis nunc se obiecisse videndum?
Haud secus ac divi si cernas numinis ora,
Mixta tenet sacro me sic horrore voluptas:
Ipse etenim fuit ille bonus, Chalceïus ille,
Qui deus afflictis praesens apparuit olim
Quâ mihi, quâ pueris fida cum coniuge parvis.
Ardebat mea nam febri Galatea furenti,
Dura meisque aures claudebant numina votis;
Et mox coniugii torquet tria pignora morbus,
Afficere infirmum qui me quoque labe parabat,
Confectus traherem vix ut iam membra dolore;
Intereaque lares paupertas aspera pressit,
Quando cura gregis, parvi et cessabat agelli.
Quid facerem infelix? mihi quis solatia ferret?
Iam Furiae coepere mihi compellere mentem,
Iam spes una fuit diram consciscere mortem,
Quum Deus (ipsi nam miseris Dî talia suadent

De coelis) Deus ipse, inquam, mihi mandat adire
Chalceium, tantum nobis quem fama notarat.
Conveni: miserum excepit sermone benigno.
Quid quaeris? medica morbos cito depulit arte,
Largitus promptaque manu subvenit egeno.

Menalcas.

Ergo vidistine illum merita celebratum
Laude virum? Cuius mentem compertus et artem
O quantum vidisse velim solemnia sacra!
Vexarunt aliquando meum contagia parvum
Saeva gregem; morbi rapuit vis dira capellas.
Lenirent quum nulla gravem medicamina pestem,
Tunc ego Chalceium petii solatia quaerens,
Quem scirem morbos hominumque gregumque levare:
Depulit is dominoque famem pestemque capellis.

Damon.

Fortunate senex! Festo famaque fruaris,
Atque tua quaecunque tibi virtute parasti,
Laetus respicias transactae tempora vitae.
Consiliis, studio, factis, re semper et arte
Tu quibus adfueris, si cui numerare voluntas:
Is numeret veris flores sylvaeque volucres.

Menalcas.

Fortunate senex! Festo famaque fruaris,
Exspectans laetus venturae tempora vitae,
Quam salvo Deus ad serum tibi protrahat aevum.
Omnia funduntur quae sacris vota diebus
Iugiter hisce tibi, si cui numerare voluntas:
Is numeret rivi latices et messis aristas.

Damon.

Haec mihi volventi rite celebrabitur anno
Sacra dies, genioque viri mollis cadat agnus.
Tam cari capitis vita ut viresque perennent
Ante deos ruris summa pietate precatus,
Laetis excipiam socios epulisque meroque,
Mentibus et benefacta viri gratus memorabo.

Menalcas.

Ast haec lucebunt quoties solemnia nobis,
Divorum rite sacras operatus ad aras,
Virtutes laudesque viri cantabo quotannis
Carminibus, sed non operosi qualia iactant
Urbis quaesita luctantes arte poetae,
Dulcia sed mea quae facilis mihi Musa ministrat.

INSCRIPTIONES

PORTICUS AQUIS AURELIIS (BADEN-BADEN) IN VALLE EXSTRUCTAE, IN QUAM FONS CALIDUS E MONTE DEDUCTUS EST [1]).

1. **Supra portam.**

Saluberrimi fontis haustus
ut potaturis commodius propinarentur,
aquas montium iugo deduci
porticum exstrui iussit
LEOPOLDUS
Magnus Dux Bad. Dux Zaringiae.
MDCCCXLII.

---

[1]) Rogatus, inscriptiones porticus recens exstructae conficere, has binas proposui, quarum prior supra portam principalem insculpta nunc legitur.

2. In labro salientis.

Nympha salutiferi fontis, quem saecula norunt,
Descendi in vallem montibus alta meis:
Deduxit Leopoldus enim, Zaringia proles.
Quales ibi virtus, hic quoque talis aquae.
Quique meos latices colitis, salvete! lavabo
Ex animis curas corporibusque luem.

FRIDERICO CREUZERO,

SUMMO VIRO

SEMISAECULARIA LAUREAE DOCTORALIS SACRA AGENTI

DIE IX. OCTOBRIS MDCCCXLIX.

Ecce salutantes tibi nos gratamur amici,
Integra lustra decem laurea quem decorat.
Quam iuvat emensum vitae percurrere tecum
Quod tibi concessit carpere numen iter,
In quo nec hodie firmo pede pergere cessas:
Namque vigent vires, gloria namque viget.
Primum te fovit Clio atque volumina pandit,
Quae nemo explicuit doctius arte tua.
Musarum te cuncta cohors exin comitata est
Ad sacros ritus altaque templa deum.
Lusit amabiliter quidquid de numine, quidquid
Hellas praesaga seria mente tulit,
Omnia perlustrasti oculis et pectore puris
Et sacer ut vates nos sacra prisca doces.

Nec studio minus acer obis penetrale sophorum;
  Promis divinas inde Platonis opes.
Doctorum veterum tam clare qui agmina claudit,
  Nonne novam vitam debuit ille tibi?
Tot meritis crevit iam dudum gloria famae
  Et potior fructus dulcis amicitiae.
„Noster amor nostrumque decus, maneant tibi semper
  Haec bona, virtutes quae meruere tuae!"
Acclamant cuncti fundentes pectore vocem.
  Inter quos primi vota precesque ferunt
Consortes mensae nigrae [1]) quae nomen adepta est,
  Sed qua candidior non magis ulla fuit.

---

[1]) Mensa in museo, quod dicitur Heidelbergae, circa quam quotidie vespere amicorum virorum circulus confabulandi causa congregari tunc solebat (Schwarzer Tisch).

EPIMETRUM

OBSERVATIONUM AD TABULAM CLAUDIANAM.

Locus, in quo Tabula Claudiana nunc asservatur, est Museum Lugdunense (Palais des arts). De tabulae materia, magnitudine, scriptura haec addere placuit desumta e libro, qui inscribitur: *Description du Musée lapidaire de la ville de Lyon, par le Dr. A. Comarmond, conservateur des Musées archéologiques de la ville de Lyon. Lyon. 1846—1854, pag. 32.* „Ces tables (id est binae laminae in quas tabula fracta est) sont d'un bronze contenant très-peu d'alliage et se rapprochant beaucoup du cuivre rouge où l'entaille du métal par le burin pouvait se faire d'une manière plus facile.... Certaines lettres sont accentuées ou ponctuées dans leur centre. Nous devons faire observer que ce ne sont jamais que les lettres arrondies finales qui sont ainsi ponctuées. Les points sont de forme triangulaire; les accents sont aigus, très allongés, flexueux, peu profondément gravés et ont à leur sommet un trait horizontal, légèrement oblique. Quelques I dépassent en hauteur le niveau des autres lettres; les Q ont la queue très allongée. Le caractère des lettres n'est pas uniforme; quelques-unes sont d'un beau style et les autres d'un style médiocre.... Hauteur des tables:

1 mètre 95 cent. La largeur des deux pièces réunies est de 1 mètre 95 cent. L'épaisseur moyenne est de 17 millim.“ — Accentus sparsim positi apparent, in singulis fere versibus uni alterive verbo additi, sed certis rationibus aut nullis aut nos plane latentibus. Atque has quidem observationes nunc addere placuit ad corrigenda et supplenda ea quae in Commentatione I de Tabula Claudiana supra pag. 100 olim re nondum satis explorata a nobis scripta sunt.

Editionibus Tabulae Claudianae et commentationibus supra pag. 103. not. 1. a me indicatis adde: *Ritschl* et *Mommsen*, Zur Rede des Kaisers Claudius, in *Welkers* Museum für Philologie. 1854. IX. p. 443. Unde has binas Mommsenii observationes depromere iuvat. Is igitur Column. I. (commentat. meae p. 127. 22), *appellitatus* non mutandum censet in *appellitavit;* sed mutans *et* in *est,* ita legendum locum arbitratur: *montem Caelium occupavit (est a duce suo Caelio ita appellitatus).* Tum Column. II. (commentat. meae pag. 138, 37) verba *ad census,* e mea coniectura, Nipperdeio approbante, corrigenda in *a census*, retinenda putat, eo sensu, ut. *Adcensus* substantive positum accipiatur, ut *Proconsule, Amanu.*

INDEX.

	Pag.
De vera Theophrasteorum characterum indole ex Aristotelica ratione repetenda. Commentatio prima . .	3
Commentatio altera	29
De studio graecarum latinarumque literarum per saeculum decimum sextum in universitate Friburgensi .	63
Claudii Imperatoris oratio super civitate Gallis danda .	96
De eadem Epistola ad I. B. Monfalconium . . .	140
De Aristotele patriarum religionum aestimatore . .	157
De mixto rerum publicarum genere	180
Leopoldi, Magni Ducis Badensis parentalia . . .	215
Breviores aliquot allocutiones	223
Carmina aliquot latina	236